

ARCHIVIO

ACM

PADRI SOMASCHI

SOMASCA

31

1

92

Confraternita Somasca

4

... BRINTERBI SAPERE SE IN LOMBARDIA  
ABBIANO IL BREVIARIUM HISTORICUM (SOMASCHENIE),  
CON LE ANNOTAZIONI DEL P. TABISI.

QUI L'ABBIATO NELLA EDIZIONE DI VERCELLI  
1744 .... "

(dalle lettere scritte dal p. Sandrini  
Bernardino Secondo ag. al provinciale  
lombardo p. Vitali il 3 dicembre 1857.

— ► cf. Epistolario SANDRINI  
alle Acte ).

Togli da conservare

in:

ACM 3-1-92

—————  
Gretie  
ph.

ARCHIVIO	
PADRI SOMASCHI	CASA MADRE
ACM	
3	
1	
92	
	SOMASCA

Vedi 1-3-80  
edit. minore  
in italiano



# BREVIARIUM HISTORICUM

Nonnullorum

Pietate , Doctrina , & Dignitate  
ILLUSTRUM VIRORUM  
CONGREGATIONIS DE-SOMASCA

Alphabetice dispositum .

Additis Notationibus manuscriptis a P. D. Ignazio Tadisi pag. 165.



VERCELLIS MDCCXLIV.


Apud Johannem Baptistam Panealis Impressorem , &  
Bibliopolam Episcopalem .

P. D. Ignazio Tadisi  
Vedi pag. 221 ms.

# BREVIARIUM HISTORICUM

Monitionis

Prius . Domini . Q. Dicimus  
ILLUSTRIS VIZORUM  
SOMMATIONIS DE SOMASC



ARCEFFLIS MDCCXVIA

Ab ergo ipsiusdem Breviariorum Historie Impressionem &  
Bibliotheque Historicae

Amplissimo , & Reverendissimo Viro  
**D.D. ALPHONSO**  
C O M I T I  
**MIROLIO**  
C A S A L E N S I ,

SS. D. N. Papæ BENEDICTI XIV. Prelato Domestico  
Pontificio Solio Episcopo assistenti  
Antistiti Alexandrino ,

Hoc qualecunque obsequii , & venerationis monumentum  
Dicat , dedicat , consecratque

**JACOBUS CEVASCUS**

Congregationis Somaschæ .



ETERUM moribus constitutum ,  
atque receptum est , ut Litterarii  
fætus in lucem edendi ad Mœcenatem aliquem no-  
bilitate , virtute , atque auctoritate conspicuum con-  
\* 2 fuge-

fugerent ; Majorum Ego sectatus inseparatum , BRE-  
VILARIUM hoc HISTORICUM qualemque sit , vo-  
rum tamen , qui de Somascheni Congregatione prae-  
clare sentiebant , elucubratum consilio , Tibi sesto  
Amplissime D. ANTISTES , ut a dictariis de-  
fendas ; mortibus substrahas , a momis vindices : Ubi  
humanitus excepis , tua nobilitate illustre , meritis  
tuis gratum , & amplitudine tua dignissimum futu-  
rum confido . & plane quidem ; recensentibus hinc  
aliis ad posterorum memoriam , & saeculorum exem-  
plum virtutes tuas , & tua promerita , Religionem  
scilicet in Superos , qua intus aestuas , caritatem  
in pauperes , quibus nunquam dees , Excellentiam  
inter pares , quies semper praes , Vigilantiam in  
Præfatu , qua Oves nescis , & affatim pascis ; &  
Me inde animo revolvente ex nobilissima , & vetu-  
stissima MIROLIORUM GENTE Alarum Duces ,

Militum

Militum Tribunos , Exercituum Imperatores , Sena-  
tum Praefideb , Et Provinciarum Moderatores , Epis-  
copos plures , Multae et Insulare non paucos , qui  
eius clarissimi Viri omni tempore multisque a secu-  
ritate disiupuebat apud exteras Nationes auctoritate , & fa-  
mam illie extulerat , Etiam nunc plurimam famam valent ,  
quid sub auspicijs . Taxis non sperem ? quid sub alis  
gentilicie Aquile trias fortis desperem ? Adjicit ani-  
mum , spemque meam vehementer erigit tue inge-  
nitas mentis , morum tuorum candor , amabilis illa  
tua comitas , qua omnes suscipis , qua Religiosorum  
praesertim Virorum amorem Tibi concilias , & qua  
Me in Episcopatus tui Theologum assumendo id es-  
fecisti , ut alter sim quam fuerim , & reluctante  
mentis meæ infirmitate , ex clementia tua in speciem  
sapientis adorner , indeque in memetipso ipsem ego  
non amplius dignoscar : Optimo itaque jure Tibi Con-  
grega-

gregationis Somaschenſis pars melior a me hoc in  
Opusculo ſititur , ut publicam erga Te obsequantissi-  
mi totius Ordinis Nostri ſignificationem preſtem , &  
mei in Te gratiſſimi animi locupletiſſimum testimonium  
perhibeam . Accipe igitur , & patere ea , qua tiffoles  
phylantropia , vel leviora obsequia admittere , huiusce  
Opellæ nuncupationem , que , etſi merito utcumque  
exhauriatur , æternum , & luculentum tuo de nomine  
ornamentum reportabit .

AD

## AD LECTOREM TYPOGRAPHUS.

**S**uperioribus annis quoddam italicum Opusculum de Generali-  
bus , Episcopis , Archiepiscopis , & Cardinalibus è Somaschenſi  
Congregatione aſſumptis e Bibliopolio meo legendum prodiit ;  
**BREVIARIUM** nunc **HISTORICUM** Virorum aliquot ejusdem  
Congregationis partim pietate , partim doctrina , partim digni-  
tate illuſtrium Tibi , Lector amice , ejusdem meis prælis excu-  
ſum exhibetur : Non negaverim quidem immo fatebor libenter ,  
plures , & plures ſcienza , religione , ac gradu digniſſimos , qui  
recitarentur omissos ; quid autem ? duritiæ alienæ non Auctoris  
negligentiæ tribuas quod omiferit ; ſcificatus eſt ab omnibus quo-  
rum intererat , de ſingulis , ut ſingulorum meminifet , morige-  
ros paucos , morofos plures , aperte dicam , improbantes non  
nullos reperit , cum de publica re agitur , uſuvenit , ut quæ uni-  
versim prodeſſe poſſunt , universim negligantur : Non ideo ta-  
men animum abjecit ut a cœpto defiteret , immo quantum  
prægravis ætas , & otiosi dies paſſi ſunt , eum adjunxit , ut ſal-  
tem de omnibus non fileret , ſperans ſe forte quamprimum , ſi  
quidem fuerit edoctus , eorum qui reticiti ſunt Additamentum  
facturum : Ne mireris interim , neve ipſi acclames , ſi quando-  
que unum , vel alterum Scriptorem congerat , qui pauca ſcri-  
pferit , aut minuta evulgaverit , juxta eum ſunt Sopranus , Ju-  
stinianus , Ribadeneira , Alegambe , Augustinus ab Ecclesia ,  
Rossottus , Oldoītus , Alberti , aliique Moderni non pauci , qui  
in Syllabis suis non abſimilia recenſent : Ab ungue Leo dignoſci-  
tur , in exiguis ſapiens ; & ſicuti in parvis ſolertia naturæ com-  
peritur , ita ſapientis virtus , vel in minimis Lūcubrationibus non  
veratur intelligi , præterquamquod de Philologis , non de Scripto-  
ribus **BREVIARIUM** iſtud partim concinnatur , & iſtituitur :  
Cæterum Te unum præmoneo , ab Auctore nullam aliam fidem  
in hoc Opere exigi , quam eam , quæ Historicis ſolet haberi , cum  
Romanae Inquisitionis Decretis , Pontificum Ordinationibus , &  
præſertim URB. VIII , omnimode ſe totum ſubjiciat . Vale ,

**L**ibrum , cui Titulus : *Breviarium Historicum non nullorum Pietate , Doctrina , & Dignitate illustrium Congregationis de Somasca . Ex comissione P. Vicarii Generalis Sancti Officii Vercellarum sedulo perlegi , & nihil quod Principibus , moribus , & Fidei advenietur , in illo inveni . Ideoque ad ampliorem ejusdem præclarissimæ Congregationis laudem , prælo excudendum censeo : Si placuerit &c.*

Dat. Vercellis hac die 4. Maii anno 1744.

**Fr. Franciscus Antonius Mezanotte Ord.**  
**Min. Conv. S. Francisci , Sac. Theologiae Doctor , & pro S. Officio Vercellarum Librorum Censor.**

Imprimatur attenta &c. Fr. Joseph Hyacinthus Schelinus  
Ordinis Prædicatorum Vicarius Generalis S. Officii  
Vercellarum .

Vidi Costantia Regius Revisor .

*Permittitur Impressio .*

**Lanza Præfectus pro Excellentissimo Domino Magno**  
**Cancellario Marchione De Ormea**

**EMI-**



**A**



**EMILIANUS , sive MIANUS HIERONYMUS** Patrius Venetus , variis pro Republica Venetorum muneribus egregie perfunctus , bello ex Carheracensi scedere adversus Venetos æstuante , ad fines ipsorum tutandos destinatur , hic , ab Exercitu Maximiliani Cæsaris in Castronovo obsefus , captus , & vinculis constrictus ope Sanctissimæ Virginis Deiparæ eripitur , ac per medios Hostes deductus Tarvisium incolumis pervenit , tanti haud immemor beneficii , patrimonio pauperibus distributo , valedicens Sæculo , in officiis pietatis seipsum coepit exercere ; itaque non modo Venetiis , sed & in aliis Italæ Urbibus pueros parentibus destitutos in unum collectos in extractis a se ædibus alendos curavit , quod & circa puellas præstítit . Multis autem peragatis Urbibus in Somaschæ Castro , quod inter Bergomum , ac Larium Lacum occurrit , demum substitit , ibique multis ad eum confluentibus alumnis , Congregationis Somaschenensis fundamenta jecit anno 1531 .

**A**

Multis

<sup>2</sup>  
Multis fulget miraculis , in ejus gremio pane divinitus aucto , non solum suo , verum & exteris fame confessos quandoque pavit : E multis obsecorum corporibus ad eum catervatim confluentium , dæmonibus formidolosus , eos ejecit ; multa , quæ ita evenere , prædixit ; denique sui obitus præscius annum sextum supra quinquagesimum agens ætatis , die octava Februarii cef- fit e vita anno Domini 1537. Ejus sepulcrum Somaſchæ magnō est in honore ob varia ibi patrata miracula . *De eo Philippus Ferrarius , Turtura , Stella , Santinell. in ejus Vita.*

**A** CHILLI JOHANNES BAPTISTA Ferrariensis religiosissimis moribus prædictus , eruditione de- corus , Sacrae Theologiae , ac Philosophiae Bononiæ , ac in Alma Urbe Professor , Aristoteleæ Scholæ adhæsit sectator , & vindex ; Athomistas , eorumque patronos Achillea plane virtute est insectatus , inde *Magnus Peripateticus* appellatus : Typis Pisarii de anno 1702. evulgavit Bononiæ : *Enchiridion de Princi- piis Peripateticis Lib. 3.* scripsitque italicice : *Speculazione Fisica sopra il Fenomeno Meteorologico accaduto nel mese di Gennajo del 1716. nella Casa di Girolamo Oddone Medico celebre di Venezia , spiegato secondo i principj della Filoso- fia Peripatetica , quæ inserta legitur in Miscellan. Astro- nomicis Tom. 2. prope finem excusis Venetiis , ubi vir æque probus , ac doctus non sine communi moerore obiit anno 1716. die 16. Julii.*

Vide  
ag. 217.

**A**DVOCATUS LUCIUS JOSEPH Mediolanensis , vir in Congregatione spectabilis Literaturæ , & prudentiæ non imparis , Papiæ quadriennio , Me-

<sup>3</sup>  
Mediolani triennio , ibi Philosophiam , hic Theologiam tradidit . A Cathedris ad Suggeſta transiit , & per vi- ginti , & ultra Quadragesimas variis in Urbibus Decla- mator Apostolicus virtute multa evangelizavit : Reli- quit Sermones Quadragesimales , & Panegiricos . Picinel- lus de eo meminit in Athenæo Mediolanensi .

**A**LBANUS BONIFACIUS Bergomas ætate gravis , sapientia percelebris , moribus integer , labori- bus defatigatus , in Romana Curia Ordinis Pro- curator , & subinde Præpositus Generalis de anno 1665. , continuata honorum serie ab ALEXANDRO VII. Ar- chiepiscopus Spalatensis , Dalmatiæ , & Croatiae Primas renunciatur , & a CLEMENTE IX. inauguratur anno 1668. nil dubitante optimo maximo Pontifice , quin Ec- clesiæ Dei curam , & diligentiam haberet , qui tam laudabiliter domui suæ , hoc est Congregationi prefue- rat . In Archiepiscopatu rerum gestarum laude clarus præmium in Cœlo recepturus hac vita demigravit an- no 1678. Scripsit ejus vitam Nicolaus Petricelli , quæ cusa Venetiis legitur in Tom. 28. Opusc. Scientific. Ca- logerà .

**A**LBERTI JOHANNES BAPTISTA e Savona Ora- tor suo Sæculo famigeratus , quo ex eruditione clrior nemo ; in Metropolitana Mediolanensi Sacrae Bibliæ explanator illustris , Doctrinæ ditissime abundans apud probatos viros summam existimationem ubique gentium est assecutus . Myſta devotus in Con- fessarium Monialium Sanctissimæ Annuntiatæ Genuae Or- dinarium est electus ; Rector prudens diversis in Col- legiis Præpositum egit . Circa annum sexagesimum a. A 2 Sæ-

**4**  
Sæculo sexcentesimo mortem obivit , & typis Genuen-  
sibus consignavit anno 1638. latiali fermone : *De vita ,*  
*& rebus gestis Sancti Majoli Abbatis Cluniacensis histori-*  
*ce , & dogmatice scriptos Lib. 3.* item ibidem anno se-  
quenti : *De origine Acalemiarum tam publicarum , quam*  
*privatarum : anno 1641.* edidit *Carmina Rythmica Sacra ,*  
*& Moralia : Anno 1642.* Lib. 4. *De Apparitione Virgi- nis Misericordie Savonensis , & de imaginibus ejusdem ,*  
*portentis , miraculisque illustribus in Italia ;* itidem Medio-  
lani italis literis evulgavit Opus : cui titulus *La Peni- tente Egiziaca .* Conscripsit quoque *La Vita di Gabriele Ciabrera additis Elogiis : De eo meminere Hieronymus Ghillinus in Theatro , Sopranis , Justinianus , necnon Gumpenberg Societatis Iesu in Atlant. Marian.*

**A**LBERGHETTI ANTONIUS Ferrariensis Sacrae  
Theologiæ Doctor laureatus, Institutum Congre-  
gationis amplexus est anno 1686. die 22. Julii: pri-  
mum Venetiis , & Ferrariæ Philosophiam , mox Ro-  
mæ Theologiam prælegit : Academiæ Ardentium Bononiæ præfuit anno 1710. Literarum eruditione , & mo-  
rum candore coruscans decessit Ferrariæ ætatis annorum  
55. a reparata salute 1726. die 11. Novembris . edidit  
Ferrariæ 1696. Opus prænotat. : *De spontanea generatio- ne in duas partes discretum .* Item Romæ 1708. aliud ,  
cui titulus : *Dissertationes Philosophicæ , & posterioribus annis nempe 1718.* eidem prælo commisit Opus in-  
quinque Tomos divisum , nempe *Elementa Sapientiæ sub*  
*ascititio nomine Cajetani Panapisti , in quorum primo*  
*agit : De ente , & numeris ; in secundo : De Deo , &*  
*Angelis ; in tertio : De corpore , ejusque principiis etiam*  
*geometricis ; in quarto : De affectionibus corporis ; in*  
quinto :

quinto : *De Mundo , & Cælo , Paraverat typis vastissi-  
mum aliud Opus : De omni Scibili , cui nomen Ency-  
clopediæ , ejusque iconem publici juris fecit , sed morte  
præventus non potuit illud explere . Hujus M. S. asser-  
vantur in Collegio Ferrariensi Divi Nicolai , ubi exre-  
mam diem clausit .*

**A**NGELUS a Nucerla , quem ex ardentiſſimi amo-  
ris in Deum , & proximos igne , atque ex pu-  
riori vivendi ratione Angelum potius , quam  
nomine depreſdicaveris , cum Cremonæ quædam Socie-  
tas sub anno 1558. die 2. Martii approbante Vicario  
Generali Decio Alberio fuifset instituta pro colligendis ,  
ſuſtentandisque Orphanis utriusque ſexus ad amuſim .  
& Institutionem Venerabilis Patris Noſtri HIERONY-  
MI ÆMILIANI ; ad promovendum , dirigidumque  
hoc tam pium Opus , illuc missus eſt a Capitulo Ge-  
nerali ſub eodem anno mense Aprili , iſtante , literis  
datis , Eminentissimo Cardinali Epifcopo Cesio . In ejus-  
modi charitatis officio ſeraphico prope ardore inservivit ;  
cumque ejus animi dotes magis magisque in dies cui-  
que innotescerent , ſupplicatum fuit ne abſcederet , ſi-  
quidem omnes , & præſertim piæ Societatis Moderato-  
res , quem Angelum nuncupabant , ut Angelum vene-  
rabantur , hinc a Majoribus Noſtris jufſus eſt ibidem  
immorari donec Operarius dignus mercede ſua abſoluto  
vitæ curſu ad Superos evolaverit . Ab Attilis Cremonen-  
ibus , & Collegiis Sancti Hieronymi Seroldi et Misericordia .

**A**RECORDIUS CAMILLUS Brixiensis in Colle-  
gio Patavino Sanctæ Crucis ſummo charitatis  
officio , in adolescentibus Noſtra Gymnasia fre-  
quen-

6  
quentibus lingua latina erudiendis , expoliendisque plurimos annos insumpit , cuinque videret juventutem plurimum temporis impendere in gymnade grammaticali , jaeturam annorum in prima Literarum palæstra ægreferens , typis exhibuit in Scholarium utilitatem , & Ludimagistrorum levamen Opusculum prænotatum . Regule Grammatices ad facilioriem addiscentium captum per erotemata concinnata , Patavii 1615.

**A**S SERETUS JOHANNES BAPTISTA Genuensis omnibus prudentiae , & doctrinæ laudibus decrus , sed sanctimonie laude ornatus , Beati HIERONYMI ÆMILIANI vestigiis intensus non sine celebri humanæ , divinæque charitatis emolumento in Praepositum Generalem electus est anno 1601. Animi magnitudine , potestatisque Apostolicæ tuendæ zelo eximus , tempore interdicti Veneti agendo , & sustinendo fortitudinis , & patientiae argumenta exhibuit plurima : Venerabilis EVANGELISTÆ DORATI sanctissimi obitus Testis fuit , & imitator , sanctissime , & ipso moriente , cuius tumulus recepto cadavere violarum odorem astantium naribus afflavit . Speranz. in Vita Venerabilis Evangelistæ Dorari .

**A**URATUS , sive DORATUS EVANGELISTA Cremonensis , se Nostris adscripsit anno 1582. Orator , Philosophus , & Theologus , virtutum omnium Encyclopedia , sed præcipuae virginitatis , Prophetæ , & miraculorum donis conspicuus : Genuæ in suburbano Collegio 1584. Magister Novitiorum cum tyronibus angelicam vitam duxit ; Præpositus Generalis de anno 1593. totam Congregationem meritorum suo-

7  
fuorum radiis honestavit . Romam vocatus a GREGORIO XIV. , cuius Nepotes Cremonæ instituerat , summo honore in Papali Palatio excipitur , Cardinalium in al'bum mittitur , sed Purpuram lacrymis , & precibus respait ; jugiter meditationi addictus , necnon in humilibus pietatis officiis exercitus , prænunciatis suæ mortis loco , & tempore a Vico Somaichæ abiit in Cœlum die 24. Junii anno 1602. Ejus cineres , & ossa locata sunt apud Corpus , seu Reliquias Venerabilis Patris Nostri HIERONYMI MIANI , & anno 1626. 15. Septembris occasione visitandi Corpus dicti HIERONYMI fuerunt & illa detecta , & examinata a Visitatoribus Apostolicis , apud quæ inventa fuit lamina plumbæ cum inscriptione : *Beatus EVANGELISTA DORATUS* . Scripsit historice gesta prædicti Venerabilis HIERONYMI MIANI , & hujusmodi opus. M. S. in Archivio Sancti Majoli Papiæ asservatum , postmodum compulsatum fuit in Processibus Papiensibus a Delegatis Apostolicis in causa Beatificationis ejusdem HIERONYMI , quod & impressum in Compendio eorumdem Processuum dict. Postro magna Romæ 1714. typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ . Scripsit ejus vitam Speranz. Hypol. , quæ M. S. asservatur in Archivio Cremonensi Divæ Luciæ : Vid. Somasca Graduata memorie Storiche , ec.

**A**URIA HIERONYMUS Genuensis in politioribus , atque interioribus literis quam maxime versatus , in Philosophicis , & Theologicis Studiis usque ad virium langorem exercitus , præeunte ætatem virtute sanctimonialium regundis Collegiis præponitur , cumque ex ejus indolis suayitate , & operis dexteritate ad

ad grandia perfidoneus judicaretur , a CLEMENTE X . sub anno 1671. die 16. Novembris ætatis suæ 39. Ne- biensis Ecclesiæ Infulis inauguratus est , & Episcopalem Magistratum gessit ad lustra sex , quo resignato in manibus INNOCENTII XII. fractus multo membra labore , Genuæ obiit , & sepultus in Nostra Divæ Magda- lenæ Ecclesia anno 1703.

**A**URIA JOHANNES BAPTISTA & ipse Genuen- sis professus ab anno 1669. die 10. Januarii vir religiosarum virtutum titulis ornatus , Cathedris scholasticis notus : In Collegio Clementino Rector , in Collegio Novarum Præses , in Comitiis Generalibus Vocalis , Doctrinæ , & prudentiæ suffragiis anno 1702. , proponente De-Auria nobilissima Gente , a CLEMEN- TE XI. Abbas Infulatus creatur in Collegiata insigni Divi Mathæi Genuæ , cumque Abbatialem illam Eccle- siam annos quindecim administrasset lethali correptus morbo circa annum ætatis suæ sexagesimum septimum ad Nostra Claustra ex Ædibus Collegiatæ translatus , ipsi placuit inter suos ē vivis demigrare anno 1717. , cele- bratis Pontificali ritu Parentalibus , funeratoque ejus cor- pore in Nostro Sarcophago in Ecclesia Sanctæ Mariæ Magdalenaæ extructo .

## B

**B**ALDO ANTONIUS Venetus Congregationis exi- mius Theologus , & singularis eruditionis ; a CLEMENTE IX. Clodiensis Antistes renuntiatur 15. Julii 1669. Cathedralæ Templum solenni ritu con- secrat-

secravit , populum fovit , pavitque frequentius Divini Verbi evulgatione de sublimi suggestu , nobili , atque invidioso opere extracto ; antequam ad has Infulas , evehernetur Præpositum agebat Patavii in Collegio No- stro Sanctæ Crucis . Excessit ab humanis die 8. Octo- bris 1679. , & sepultus est in sua Cathedrali prope Altare Beatae Virginis Assumptæ . Ex Ughello Tom. 5. a parte 10357.

**B**ALDINUS JOHANNES FRANCISCUS Brixien- sis vir eruditissimus , BENEDICTO XIV. carus , & Purpuratis Patribus gratiosus , in Athenæo Clementino Romæ Sacrae Theologiæ Professor canus , in Sacris Congregationibus Indicis , & Rituum Consul- tor , in Sancta universali Generali Inquisitione Qualifi- cator Theologus , in Academia Antiquitatum Romanarum Academicus electus a præd. Pontifice plurimum eruditiorum Conventuum Romæ Institutore , & recenti pro cor- rectione Breviarii Congregationi adscriptus Examinator , typis Romanis evulgavit italice anno Domini 1733. Me- ditazioni sopra la Passione di GESUCRISTO , e sopra li Dolori di MARIA ; item eisdem commisit luculen- ter , & erudite scriptas Dissertationes varias super re- bus vetustis Romæ repertis , insertas Academicorum Cortoniæ Scriptionibus , quæ editæ fuere in Urbe apud Pagliarinos anno 1738. , itidem alteram : Sopra le forze moventi Venet. 1730. in Tomo 4. opusculorum scienti- fierum , nec non aliam inscriptam : Sopra l'Aurora boreale del 1737. Romæ eodem anno apud Salvionum. Edidit etiam italice Notas Historicas : Sopra le vite de' Papi di Anastasio Bibliotecario nel Tomo secondo ibidem 1735. , postremo latine evulgavit : Numismata præstan- tiora B

10

viora Imperatorum Romanorum Johannis Vaillantii auct*or*is,  
et illustrata Tom. 3, ibidem 1743. conscripsit Volumen.  
*De Indulgenc*ia** eruditissime exaratum.

**B**ALDONIUS ALOYSIUS Ticinensis in illo tunc florentissimo publico Gymnasio literarum Græcarum Professor, eam nactus est de se opinionem, ut ad maximas quasque difficultates examinandas, discutiendasque a quovis Literatorum adhiberetur; Romam missus a Majoribus nostris, obtinuit sub anno 1568. die 6. Decembris a Sancto PIO V., ut Congregatio alias ab anno 1540. dudum a pluribus Pontificibus approbata, & confirmata, publico Diplomate dato additis elogiis, solemnia emitteret vota, necnon approbatæ Religionis juribus potiretur, quod sequenti anno expletum fuit recipiente de mandato Papæ mente Aprili ejusdem anni 1569. quinque Patrum Professionem Episcopo Derthonensi Cæfare Gambara. Cæterum sapientissimus vir his peractis, rerum gestarum laude clarus, pietate clarius mortalitatem in Patria paullo post exiit, nobis amoris sui erga Congregacionem exemplo nunquam intertrituro, exhibito.

**B**APTISTA inter Nostrates *IL MORO* Arabicus, in Congregatione Laicus simplex, & rectus corde, ac timens Deum, humilitatis, mortificationis, & obedientiæ usu mirum in modum exercitus, oris nigredinem, animi candore compensavit, nullum ejus vitæ mortalis momentum pertransiit, quod ipsi ad æternæ non profuerit emolumentum; a tenero ungue Maumeticæ Superstitionis servitute, & cæcitate ligatus, & pressus, Christianæ Religionis libertatem, & lumen anhe-

anhelabat, hinc assatim Turcarum infidelitatem perosus, clanculario ut eorum manus eraderet, e Navigio, quod ex industria concenderat, in Mare se dejecit, & bido super aquas sicco pede ambulans mirabiliter Venetias appulit. Sacramento Fidei recepto, regeneratus in Christo, Congregationi Somaschæ addici subinde curavit, in qua receptis variis in statu laicali muneribus, & laboribus religiosissime functus, sanctissime vixit, cuius imago affabre depicta est in claustro Divæ Magdalenaæ Genuæ. Ex Adnot. Cronolog. Patris Semenii in Tabul. Monfort. Mediolani.

**B**ARCHOVICH FRANCISCUS WENCESLAUS ex Provincia Veneta Philosophiæ, Theologiæ, & Matheos Professione memorandus, diuturno studio clarus, Doctrinarum soliditate gravis, Augustissimo Venetorum Senatui nuncupatum Venetiis edidit anno 1730. spectatissimum Opus prænotatum italis literis: *Della esistenza della Provvidenza, e degli altri attributi di Dio, e della natura de' Miracoli.*

**B**ARGNANUS FRANCISCUS Brixiensis Congregationem ingressus die 5. Octobris an: 1679. patrium Episcopale Seminarium, & Patriarchale Venetiarum politiorum Literarum rore, atque oratorio sudore ad plura lustra irrigavit. Inter Oratores maximus, inter Eruditos summus, fama nusquam interrita mortem obivit Brixiae in pio loco *Misericordiæ* ætatis suæ 78. æræ communis 1742. Ejus Tractat. *De Arte dicendi* asserv. ibidem in Collegio Divi Bartholomæi, necnon ejusdem eruditissima M. SS. in variis argumentis custodiuntur in Biblioth. *Salutis* Venetiarum.

**B**AVA JOHANNES BAPTISTA Fossanensis professus ab anno 1684. prudentissimæ administrationis in Guberniis Præpositus , & laudatissimæ speculationis in Licæis Professor ; Collegium Fossanense sæpiissime gubernavit , & plerumque unum Rector , & Lector . Primæva ætate delectatus est orationibus , & carminibus ; apud suos summopere commendatus , ex scientia , & pietate , cuius merito ita cæteris præstítit , ut cæterorum venerationem , vel in Patria obtinuerit : Ad ultimam usque ætatem adlaboravit communi bono ultra in dies augendo , ni apopletico iictu ætatis suæ 75. vixisset Fossani anno 1741, die 11. Novembris totius Civitatis luctu comploratus , utope qui in omnium animis si ejus pietatem , prudentiam , doctrinam , suique dejectionem spectes , supra fidem clarissimus . Ejus funebria musicis sponte concinentibus celebrata solemniter , eaque a Regio Scholarium conventu non impari luxu repetita sunt . Habentur ejus *Lectiones Dialecticæ , & Phisicæ ad Veterum , & Modernorum placita elucubratae* . Ab Act. Colleg.

*Vide pag. 200*  
**B**ERTONUS MAURITIUS de Cherio excellentissimus Orator , & commendatissimus Theologus , in Congregatione plurimum laudis acquisivit , & in Collegio Clementino plurimum admirationis ex suis lucubrationibus , quas Romæ concinnavit : Ejus virtutum fama , & eloquentiæ dignitate in dies percrebrente , Fossani Episcopus inauguratur sub INNOCENTIO XI. de anno 1678. die 28. Martii proponente Serenissima Ducissa JOHANNA BAPTISTA VICTORII AMEDEI adhuc minorenris MATRE : Eam Sedem usque ad annum 1701. occupavit , relictæ Nobis honoriſſico

**13**  
rifico Legato in suæ benevolentiae significationem . Edidit Libellum , cui titulus : *Coronata Deipara , Romæ 1666.* ; item Taurini evulgavit Orationem Panegyricam in laudem *Divi ANTONII de PADUA* sub lemmate : *Gli elogj della Carità* . Ex Justinian. de Scriptoribus lugust. Tom. 1. fol. 303. Ughell. Ital. sacr.

**B**EMBO JOHANNES FRANCISCUS Venetus egriæ indolis adolescens abdicata Secularium honorum expectione religiosam vitam in Congregatione professus est anno 1678. , in qua cum summa innocentia , præcellentis animi dotes conjungeret , jam Vocalis , jam Collegii Vicentini Præpositus ad primas Ordinis Dignitates florenti adhuc ætate designabatur , sed ad majorem , Episcopalem scilicet in Diœcesi Bellunensi ab INNOCENTIO XII. elevatus est anno 1694. Ad omnes optimi Pastoris partes animum , & manus admovit , visitata Diœcesi prægravi incommodo , & totis viribus instaurata Doctrinæ Christianæ Catechesi injuria temporum alicubi pene collapsa , vel imminuta : Anno 1703. Synodum collegit , sanctisque Legibus celebravit . *Novendialia sacra* Divis Francisco Salesio , & Philippo Nerio , quorum patrocinio nitebatur , composuit . Ecclesiam sibi creditam ingenio , sedulitate , constantia , & mansuetudine administravit annos sex supra viginti , & meliorem quam acceperat , reliquit anno 1720. nondum sexagenarius . Ex Ughell. Ital. Sac. , vid. Somascam Graduatam memor. Histor. pag. 87.

*Vide pag. 197*  
**B**ENALEA JOHANNES BAPTISTA Novocomensis unum supra viginti annos natus in Congregationem recipitur annuente Venerabili JOHANNE SCOTTO

**S**COTTO tertio Præposito Generali: Vir fuit eximie pietatis , ab infortuniis pluribus gratiore defensus , & a morbis non paucis non sine miraculo liberatus , sicuti nec sine miraculo doctus , cum doctrinam Sanctorum , cæterasque scholasticas , atque morales Facultates , quarum inde Professor egregius , sine Doctore didicerit . Alexandriæ a Palea a Cardinali Episcopo Parravicino Pœnitentiarius constituitur , & Examinator , immo totius Civitatis Reformato , & Clericorum ; cumque spiritu Dei actus in omnia scelerum genera aperto Marte bellaret , multa passus est ab hominibus pro Deo . Porro ad frugi homines faciendo integerrima vitæ suæ exemplis Vincentiam missus ibidem anno 1608. die 22. Martii ætatis suæ 63. obiit in Domino . Conscriptis Historiam vitæ suæ cum hoc titulo : *Vita del Padre GIOVANNBATISTA BENAGLIA scritta da se per comando del suo Superiore* . Haec M. S. asserv. in Tabul. Sancti Petri Monfortis Mediolani : *De eo meminit Somasca Grad.* memor. *Histor. pag. 14.*

**B**EZUTIUS ALEXANDER Bergomas nobilitate , & fortunis clarus , Beati HIERONYMI MIANI , sive ÆMILIANI Fundatoris Nostri exemplo permotus , patrimonio amplio pauperibus distributo , omnibus relictis in Vinea Domini se novum Colonum addixit , & ad senium virtutum omnium laude floruit , vitamque in Congregatione clausit non imparem ÆMILIANO suo Ductori : Antequam moreretur multo primè diem , horamque mortis suæ aperuit , quam genuflexus expectans , hora prædicta explevit , non levi sanctitatis opinione : *De eo Bolland. Tom. 2. mense Februarii*

*bruarii , Crescentius in Amphitheatro Romano p. p. pagina 114. , Somasca Graduata mem. Histor. pag. 13.*

**B**OCCOLUS ALEXANDER Cremonensis ob insig- gnia sua promerita sumimus Congregationis Præpositus anno 1616. egregii Concionatoris partes non semel exercuit ; a Jacobo Vectiano Poeta Regiensi inter Viros doctissimos in suis Epistolis adnumeratur . Ipso gubernante , nonnullis post annis a sexcentesimo Sæculo missis Jesuitarum Claustris clarissimus Vir Petrus Pazmani , qui postea Archiepiscopus Strigonensis , & Cardinalis fuit , in Congregationem nostram receptus est ; & ante duos annos ipso acceptante nempe de anno 1616. Congregatio Doctrinæ Christianæ in Gallia cum Somaschis unitur per Constitutionem PAULI V. in Ordine octavam . Evulgavit Brixiae anno 1618. *Compendium Privilegiorum , & Gratiarum Congregationis Somaschæ , & Doctrinæ Christianæ in Gallia , cum ad singulorum fere calcem opportunis adnotationibus . Somasca Graduata mem. Histor. pag. 39.*

**B**ONETTUS LEONARDUS Veronensis inter celebriores suā ætate Poetas , Oratores , Philosophos , & Theologos commemorandus : Alexander II. Mirandulæ Dux cum pro Filio suo Serenissimo Ludovico Picco Præceptorem quæreret , & peteret a diversis Regularium Ordinibus , qui eum in humanis , divinisque Literis informaret , & institueret , Leonardum inter cæteros , qui offerebantur selegit , Virum plane omnium Scientiarum laude cumulatissimum , optimo fane jure cum intra nonnullos annos , versatili , atque excelsa quidem Adolescentis juvante Minerva , Principem Filium

Filiū politioribus primum , deinde Philosophicis , atque Theologicis Scientiis imbuerit adeo , ut splendissimum in Cardinalitia dignitate Ecclesiæ lumen evaserit , indeque Albanensis Episcopus . Ex Aula ad Congregationem redux Procurator Generalis in Curia Romana , bis Provincialis inter Venetos adlectus est , & anno 1716. aetatis suæ 71. ornatissimam vitam religiosissimo obitu coronavit Venetiis ; italice edidit : *Il Monte in Statua eretto al Signor Francesco Molino Podesta di Verona , l'Imeto in bocca al Lione Veronæ 1672.* , Bononiæ 1684. *Fiori poetici sparsi sora il sepolcro della Principessa Picca , Patavii 1674.* *La Tripode Dono di Apollo : Festa Accademica . Venetiis 1679.* *Le Nazioni in Arsenale . 1692.* *Orazione nella Elezione di Luigi Pisani Procuratore di San Marco . 1694.* *Orazione nelle Esequie del Cardinale di Lauria . Latine vero evulgavit Venetiis 1687.* Carmen Heroicum inscriptum : *Radius , & Fulmen Caesaris Vienna propugnata , Buda capta , & ibidem 1709.* Opusc. sub lemmate : *Vota obsequii Aris appensa Serenissime Reipublicæ Venetæ &c.* Ejus M. SS. italis literis : *Prediche . Poesie diverse . Divozioni Periodiche nelle Novene , ed altri tempi . Ritiro spirituale di giorni dieci . La vittoriosa fuga del Re Britanico . Latinis scripsit varia , quorum Elenchus : Libra Mundi , seu Philosophia Naturalis Vol. I. Philosophia Tripos. Vol. alterum , Theologia libera Tom. 3. Tabulae Geographicæ Lib. I.*

**B**OMBINI PAULUS Cosentinus in Calabria a primis annis sub Pontificatu PAULI V. fuit Societatis JESU Alumnus , sub Pontificatu URBANI VIII. ad Nostram Congregationem transiit Oratoria , Philosophica , & Theologica eruditione stabilis. *De Societatis JESU*

JESU Generalatu cum Mutio Vitelesco Competitore , contendit . Tyrocinium Somaschense in Divæ Magdalenaæ Collegio Genuæ absolvit , emissis Votis anno 1629. ubique locorum probitatis suæ , atque doctrinæ radios effudit ; dictitare solebat se in Congregatione Somascheni ubiorem pietatem , ac doctrinam reperisse , quam unquam crediderit . Inter Socios Patres edidit anno 1611. Romæ : *Orationem in Parentalibus Serenissimæ Margaretæ Austriacæ : alteram ibidem coram Sanctissimo Papa PAULO V. de anno 1612.* , item 1621. aliam in obitu Philippi III. Hispaniarum Regis Mantuæ pronunciatam ; necnon Neapoli 1615. *Vitam Sancti Ignatii italice scriptam , & eodem anno itidem Romæ Libellum , cui tit. Vestigium Gymnasii .* Inter Somaschos evulgavit Venetiis anno 1634. *Breviarium rerum Hispanicarum ab Hispania reviviscente in duas Æneades primam , & secundam discreturn . Item Hispaniam Austriacam Lib. XVII. , quam paratam æditioni habuisse testatur Alatius in Bibliotheca Hispana Tom. 2. in Append. fol. 369. obiit Mantuæ anno 1648. , & de eo Toppius in Biblioth. Neapolit. , Labbè in Biblioth. Bibliothecarum .*

**B**ONFILIUS PETRUS ANTONIUS Genuensis natus anno 1617. Nostris ascriptus ab anno 1635. fortitudinem in opere , decorem in oratione exhibens actuose , & contemplativæ vitae dotibus emicuit Sacerdos pientissimus ; propriæ non indormiens saluti , alienæ invigilavit quamplurimum : Eximum paupertatis , devotionis , humilitatis exemplar . Sæpissime cibo vacabat per hebdomadam , semper vulgari contentus , & si forte statis diebus deliciora , & deliciora apponenterunt fercula , ea absinthii pulvere inspergebat fibi

gratiora quo amarissima , Virgo usque ad extremam  
vitæ particulam , præcipuo in Virginem amore fereba-  
tur , in cuius honorem quotidie & laudes , & corollam  
persolvit . Adeo carus , adeo notus INNOCENTIO  
XI. ut eum omni exceptione majorem Virum deprædi-  
caverit . Plura scripsit qua poetice , qua oratorie dum  
ad viginti , & ultra annos Rethoricam Romæ Artem  
in Collegio Clementino edoceret . Pluribus a Deo fa-  
voribus , & gratiis auctus , & spiritu propheticō fuit  
ornatus , in ejus sanctimoniac docifmum : Obiit san-  
ctissime in Patria die 5. Aprilis anno Domini 1697. ,  
ejusque Corpus cum Epitaphio in conditorio inclusum  
quiescit in Divæ Magdalenæ Nostræ Congregationis .  
*Ex Regest. Defunct. ejusdem Ecclesiæ sub cit. anno ex So-*  
*masca Graduata memnr. Histor. pag. 70.*

**B**OSSIUS CAROLUS Ticinensis Minervæ licet , &  
Musis gratissimus , indeq; ex Affidatis Academicis , tamen majorem Ævi sui partem Philosophicis , & Theologicis Studiis insumpslit ; Vir subtilis ingenii , & plane doctus . *De novissima Philosophia Stephani Spinulæ Episcopi Savonensis benemeritus nedum* , quia prælo Patriæ suæ eam tradidit , sed & quia a pluribus scholasticorum Censuris afferuit , *Vindicias famigeratissimi Præfulis in calce operis apponendo* ; per plures annos Doctrinam de moribus legit in Divi Majoli Collegio Papiæ , ubi circa finem XVII. Sæculi ejus mors secuta est , ibidem habentur ejus M. S. *Tractatus Theologici* .

**B**OSSIUS HENRICUS Superioris Frater , Vota  
solemnia professus ab anno 1656. die 26. De-  
cem-

cembris , morum probitatem quam semper coluit .  
scientiis adjunxit . Affidatis Academicis Ticini associatus , pluries , & pluries qua latine , qua italice docifmum eruditionis suæ exhibuit . Æmulator tandem charismatum meliorum exemplariter variis in Congregatio-  
ne Confiliarii , & Provincialis perfunctus muneribus mortem obivit Papiæ anno 1713. ætatis suæ 76. inter diversa , quæ scripsit evulgavit ibidem florentibus anni Opellam metricam , cui lemma : *Ferie in Rea* .

**B**OTTI ANTONIUS Genuensis Vir Theologus , or-  
natae locutionis , & multiplicis literaturæ , in ex-  
dris , & suggestibus exercitus , in Congregatione  
pluries , & pluribus regimatum , & officiorum gradibus  
decoratus , usque dum per CLEMENTEM X. ad  
nobiliorem Episcopatus Minorensis in ætate 52. anno-  
rum evocaretur anno 1670. die 17. Novembris . Pastor  
evasit singularis vigilantiae , & caritatis in Oves sibi  
creditas , ter mille Ducatos in beneficium earum ad for-  
mam Depositum in Banco Sanctissimæ Annuntiatæ Nea-  
poli facti erogandos pia largitione donavit , & ex his  
hujus Ecclesiæ inopia in futurum non modicum leva-  
men affecuta est ; laudibus , & meritis plenus **decessit**  
anno 1683. *Ex Ughell. Ital. Sacra* .

**B**OTTI ANTONINUS & ipse Genuensis an: 1669.  
die prima Augusti Nostro Cœtui adscribitur , in  
quo excultissimus Doctor in Scholasticis floruit ,  
Aquinatis Sole irradiatus nunquam ambulavit in tene-  
bris , sive propugnaret , sive oppugnaret : Thomisticae  
Doctrinæ Clypeo adversantium tela in Concertationibus  
perpetuo Victor tutudit : Divi Thomæ ita adhaesit , ut  
pasim

pasim Thomista inter Nos diceretur antonomastice . Plura scripsit , sed Genuæ evulgavit anno 1671. in tres Tomos distributas suas Disputationes : *In Logicam Aristotelis . In Philosophiam naturalem . In Metaphysicam .*

Vide  
pag. 165.  
3.

**B**OTTUS MICHAELANGELUS Cremonensis , Pe-  
tri Vidoni Cardinalis Theologus ; post Scholastica  
Studia cum sua inesset ori suada , & servidus cor-  
di spiritus , eloqui e suggestibus instituit : Habuit in-  
genium Apollini , & Minervæ accommodatum in utro-  
que excellens . Reliquit M. S. Poematum italicum in-  
scriptum : *La Momboleide* , & nonnullas Panegyricas  
Orationes , quæ in Monfortiana Bibliotheca Nostra Me-  
diolani asservantur : Edidit in laudem Patris Cerchiarii  
*Odam de ejus eruditissima Poesi* , quæ inserta legitur in  
eius Carminum Libro , cuso Bergomi 1634. , itidem  
*Orationem in die Festo* , & *solemni Anniversario Concordiae*  
*Genuensem* sub anno 1641. cui titulus : *L'Architetto Po-  
litico* , necnon *Tragediam* , quæ *Arginaldus* inscribitur ,  
& quam dictus Aloysius Cerchiarius nobili Carmine  
adornat in *Orationum suarum Libro* pag. 139. Mortem  
obivit in Collegio Sancti Petri in Monforto Mediolani  
anno 1664. die vigesima quarta Januarii . Laudatur a Pi-  
cinell . in Athenæo Literatorum Mediolanensium .

**B**OTTONUS CÆSAR Papiensis tempore Venerabi-  
lis Patris JOHANNIS SCOTTI Præpositi Genera-  
lis , cuius familiarissimus : In Congregatione floruit  
sacrarum Literarum amator , necnon Placentiæ , ubi  
diutius commoratus est , summopere commendatus .  
Cremonæ in Ecclesia Parochiali Sanctæ Luciæ , Primus  
ex Somaschis Parochiam administravit ; Vir in Canoni-  
cis ,

cis , Theologicis , & Moralibus eruditissimus , in gra-  
tiam Catharinæ De-Rubeis Comitissæ Placentinæ anno  
1586. Italice conscripsit Volumen : *Super Jubilæis* , &  
præsertim super evulgato a Papa SIXTO V. de an: 1583.  
in quo luculentissime tractat de omnibus quæstionibus ,  
Facultatibus , aliisque ad id spectantibus , quod editum  
fuit Placentiæ anno 1589. Obiit Papiæ in Collegio Di-  
vi Majoli , cadente decimo sexto Saeculo a reparata  
salute .

**B**RAMICELLUS GULIELMUS Mediolanensis in  
sacris literis versatissimus ut Divini Nominis glo-  
riam amplificaret omni studio contendit , om-  
nemque navavit operam . Erga Dei cultum tam anxius ,  
atque sollicitus , ut in eum omnia sua studia conferret .  
Totius Congregationis Præsul 1604. id unum egit , ut  
nendum in se , verum & in aliis pietatem excitaret , &  
ad sanctimoniaci instituta unumquemque componeret .  
Francisci Gonzaghæ Mantuae Principis Institutio fuit ,  
& Custos , ut a juvenili aëtate monitis , confi-  
liisque defenderet . Hymnos , qui totius anni circulo  
in Horis Canonicis recitantur de latino in carmen itali-  
cum vertit glossis , & iconibus expresit , atque expli-  
cavit : Opus plane laboriosum sub hoc titulo : *Imi di-  
chiarati , e tradotti in rima italiana , ec.* Venetiis prodiit  
e Bibliopolio Angelerii anno 1597.

**B**ROCCHIUS BARTHOLOMÆUS Casalensis an:  
1570. die 12. Junii in Congregationem vocatus ,  
in Virum perfectissimum evasit . Somaschæ tri-  
ginta & ultra annos immoratus est , ubi *Sanctus* appel-  
labatur . Incolæ illius pagi per id tempus fuere semper

a tempestatibus liberi , & grandine immunes : Inter ejus virtutes humilitas præfulsit . Certa die cum ligna scinderet sibi crus enormiter faticiavit , & illico facta super vulnere Crucis signo , se sanum reddidit . Cœlo tonante , & procellas minante provolatus in terram vix orans aerem serenabat . Innocentiam e lustrali Baptismatis fonte receptam diligentissime custodivit . Intra hebdomadem saepissime pane , & aqua contentus unico orationis pabulo abunde reficiebatur . Spiritu prophetico ornatus , dum Somaschæ esset in oratione Collegii Præpositus Religiosis suis in Choro existentibus , Fratris sui , qui Vercellis agebat mortem quoad diem , & horam vaticinatus est . A Pago Somascheni Mediolanum profectus , ibidemque pluribus egregie perfunctus obiit in Domino die 2. Novembris 1621. De eo Somasca Graduata pagina 113. , Crescent. Lib. 2. Præfid. Rom. Semen. in Tabul. Monfort. Sancti Petri . Scripsit latine Anonymus : *De occasione proxima peccati , & de Recidis , una cum remediis pro illorum cura a Confessario abbibendis in 4.*

**B**ROCCHIUS GABRIEL prædicti Frater , alterum primo Congregationis Sæculo ornamentum , inviolatae puritatis Angelus , pénitentiarum Martyr , disciplinam , & scientiam Sanctorum edocitus , semper justificiones Dei exquisivit in corde suo , easque implevit verbo , & opere , indefessus in Vinearum Domini Operarius , & Agricola fidelissimus : Erga Virginem tenerrimo flagravit amore , hinc Vercellis , ubi diuturnam quinquaginta dierum infirmitatem patientissime passus est , dum anxius Animam ageret , præmonuit adstantes , ut sibi intermissio nullo temporis pun-

cto ,

cto , ad aures ingeminarent : *Mater Christi , sumat per te preces , qui pro nobis natus , &c. operibus Cœlo dignis cumulatus ad quietem æternam transiit an: 1618. non sine sanctitatis opinione . Ex annotationibus Cronol. Sement. in Tabul. Mediol. Monfort. , Crescent. loc. cit. , & Somasca Grad. pagina 54.*

**B**ULZIUS GREGORIUS Comensis Theologus , & Consiliarii Celsissimi Episcopi , & Principis Tridentini , qui Confessarius Monialium Sanctissimæ Trinitatis , cum earum profectui in Spiritualibus summopere vacaret , edidit Tridenti an: 1659. italis literis Libellum , cui titulus : *Diario spirituale , cui addidit alium præsignatum : Brevissima , ed ottima Istruzione per l'Orazione Mentale , ibidem saepius cusum . Comi vero de anno 1665. ut de singulis Sanctis , Divinisque Mysteriis reverentiam ingereret , amoreisque excitaret , evulgavit : Lararium Poeticum , sive de Cœlitibus in duos Tomulos discretum . Item Ticini Regii prælo commisit : Duodecim Cæsares Austracos Opus Metricum , in quo Cæsarum usque ad Ferdinandum XIII. ea ætate superstitem mores , & selectiora facta commemorat . Habentur ejusdem M. SS. La Vita della Madre Barbara Cherubina Ramponi Monaca in Trento nel Vener. Monistero della Santissima Trinità in Archiv. Colleg. Gallii Novocomen. , necnon : La Vita del Vener. Padre GIOANNI SCOTTO C. R. S. , quæ affervatur Mediolani in Archiv. Sancti Petri in Monforto inter Cedices Josephi Hieronymi Sementii Teste Juliano Porta Alexandrino in suo Opere : Esemplari , e simolacri , ec. pag. 233. Mediolani impresso 1693. obiit Bulzius literis , & moribus com-*

men-

mendatissimus in patrio Collegio anno Domini 1667.  
ætatis suæ 61.

**B**URNATUS HERMENEGILDUS Brixensis Vir utique apud omnes sui temporis magnæ existimationis : Congregationis Vota professus est an: 1671. die 20. Junii : Si ejus pietatem spectes , primævæ observantiae custos diligentissimus efferbuit ; si scientiam , ad erudiendos Venetos Magnates præelectus est , ubi & Episcoporum Brixensium , & præsertim Cardinalis Baduarii difficillimis temporibus insudavit Examinator , & Theologus ; si liberalitatem , omnia , quæ sibi ad usum concedebantur , in Ecclesiæ , & Collegii patrii ornatum , instaurationem , & supellecilia quarto Præses insumpsit , & quod gratius est , sanctissimis exemplis , & spiritualibus exercitiis sacras Ædes implevit , inauravit . Provincialis inter Venetos an: 1708. cæteris , & gradu , & prudentia præfuit . Procurator Generalis Romæ de an: 1717. plurimum in caussa pro Canonizatione Beati Fundatoris MIANI adlaboravit . Tandem omnium mœrore comploratus die 5. Octobris an: 1729. hominem exuit Brixæ septuagenario major . *Ab Actis Colleg.*

**B**URSA ALEXANDER MARIA Mediolanensis Congregationem ingressus anno 1661. primum in Liberalibus disciplinis , mox in Divinis literis instrutus , alios docere jubetur . Vir fuit apprime humanus , & pius , sancte lepidus , alicubi Præpositus , & in tota Lombardia Præses , pietatis suæ monumenta italice scripta evulgavit Mediolani sub anno 1695. *Ragionamenti del sacro amore di Filotea* , & ibidem de an:

1697.

<sup>25</sup>  
1697. *Ragionamenti della felice morte di Filotea* . Obiit in Patria quarto anno supra decimum septimum Sæculum . Laudatur a Patre Ceva , & Francisco De-Lemene.

**C**

**C**ALORE PETRUSPAULUS ab anno 1672. die 30. Julii inter Nostrates Orator , ac Scholasticus præstantissimus , Venetiis ubi natus est , Patriarchæ Examinator , Provinciæ Venetæ Præpositus , & Murianensis Seminarii Rector ad Traguriensem Episcopatum sub CLEMENTE XI. electus est an: 1708. , indeque ad Velliensem Ecclesiam translatus . In ea sublimitate decem annos impedit vigiliis Pastoralibus super Gregem habitis , & Episcopale munus rerum gestarum laude clarus moriendo depositus anno 1718. edidit *Orationes ex Diario Veneto* .

**C**ALTA JOHANNES Schiensis in Comitatu Vicentino amplificandæ Congregationis admodum studiosus , sanctimoniae laude conspicuus , Divæ Justinæ Collegii Salodiensis prima jecit fundamina celebrioris structuræ . Juge illi orationis exercitium , rerum caducarum contemptus , & flagrantissimus mortificationis ardor : Somaschæ Novitiorum Magister , mores eorum suavissimæ in Superos caritatis accensa luce inauravit : Ibidem de mandato Augustini Turturæ Generalis Nostri , Venerabilis Parentis ÆMILIANI gesta , gratias , miracula pro ejusdem Canonizatione collegit . Vir Deo plenus , & in omni virtute commendatus Cœlum concendit 1636. De ejus sanctimonia scripsit literas En-

**D**

cycli-

Cyclicas Desiderius Cornalba Præpositus. Generalis ad universam Congregationem die 5. Julii ejusdem anni , ne ulli ejus pietatis , & meritorum præstantia non præradiaret . Ex Actis Collegii Vicentiae pag. 48. Hujus doctissimi nedum sanctissimi Viri unica habetur Oratio latino sermone conscripta in Festo Sancti Petri ad Vincula , quæ incipit : *Herculi Ferarum quidem toto Orbe Domitori , &c.* in Miscellan. Collegii S. Majoli pag. 54.

**C**AMBLASIUS JACOBUS PHILIPPUS de Pulciferae Villis oriundus Genuensis , Congregationi nomen dedit anno 1662. rectam vitæ , morumque institutionem fecutus est : Scientificas Artes , & præcipue Sanctorum scientiam calluit . Præpositus quandoque , sed semper prudentissimus : Concionandi munus amplexus Albingæ , Genuæ , Taurini , & alibi , Animarum profectui studens , a longa ætate sorditatos de vitiorum cœno eduxit . Operarius dignus mercede sua migravit ab humanis die 4. Octobris 1688. Albingau ni : Prælo paratas reliquit *Conciones Quadragesimales* . Ediderat Genuæ 1674. Orationem ibidem habitam coram Serenissimo Principe , Excellentissimis conscriptis Patribus , &c. prænotatam : *Le due Corone del ligure Giano* in die festivo Concordiæ . Item Genuæ de anno 1676. Panegyricum , cui titulus : *Il nuovo Elia in Beatificazione Johannis a Cruce , Excalceatorum Carmelitarum Principis* .

**C**AMBIANUS FRANCISCUS ex Dominis Ruffiæ , ex Comitibus Cartignani in Pedemontio, Vir non tam sanguinis nobilitate , quam ingenio illustris , Rector Orphanorum fuit in pio loco Vercellarum Di-

væ Magdalenæ , necnon Visor in Galliis an: 1642. scripsit , & Taurini edidit anno 1657. italis literis : *La Vita di Santo Giovenale Ancina Allievo di San Filippo Neri* , e *Vescovo di Saluzzo* , additis optimis Sermonibus in ejusdem Episcopi gesta , præcipuaque virtutes . *Augustinus ab Ecclesia in Catalogo script. Pedem. pag. 73.* , Rossott. in Syllabo .

**C**AMPIONUS JOHANNES BAPTISTA Cremonensis , Alexandri Campioni insignis , & majoris in toto Dominio Mediolanensi Mathematici Frater , latina Poesi claruit , deque ejus Poeticis lucubrationibus specimen exhibuit , & laudat Donatus Calvus in Scæna literaria Bergomensium pag. 127. Fuit & Conciohator egregius , scripsitque : *De laudibus Angelorum* . Aris. Tom. 3. Crem. Liter.

**C**ANEPA JACOBUS Genuensis Vir doctus , & pius : Romæ Philosophiam docuit naturalem , sed cœlestem exercuit : *Conciones multas* habuit per diversa loca , sed ubique locorum opere , potius quam sermone ad Christum perdixit audientes . Humilimus ad Mensam assidens , nunquam in sedilibus Sacerdotum accubuit , vel Sacerdos , vel Vocalis , vel Senex . Magistratus omnes , quam constantissime respuit ; summo cultu , & fere ecstatio Codicem horarum persolvit , & Missam legit vel infirmus . Occulta cordium ex speciali de super dono penetrans , omnibus & singulis , quas summopere celassent cogitationes , affectus , studia prodidit . Nunquam recentibus vestibus usus est , quas alii deposuerint , sibi assignavit ; continuis afflictionibus , & laboribus , vel colonicis corpus suum defatigabat ,

exiguo contentus cibo , quem post tot , & diutinas exercitationes , nec mereri profitebatur . Contumeliis gaudebat , & irrisioibus , quas motibus , gestibus etiam histricis in se provocabat . His & similibus christianæ perfectionis ornamenti vitam clausit , & ad Beatitudinem traxit . Ex relationibus Chronolog. in Archiv. Monfert. Mediolani .

5.

**C**APELLANUS BENEDICTUS Cremonensis : Regularem Congregationis vitam ab an: 1627. die 10. Octobris professus est . De virtute in virtutem omnes fere Scholasticas , & Morales affectus est . Curam Animarum in Ecclesia Divæ Luciaæ in Patria assumpsit anno 1647. eamque tam diligenter , tam sollicite exercuit , ut nedum omnium amorem , verum & admirationem fuerit consecutus . Ejus aspectus , incessus , atque sermocinatio ad singularem erga Deum pietatem quodam Divinæ Bonitatis impulsu adstantes , audientes , necnon intuentes excitabat . In prædicta Ecclesia Parochiali , & ad Crates Monialium frequenter jussus est concionari , ejusque Sermones apud Nos servantur tamquam Trophæa pietatis , & religionis . Triginta duos ætatis suæ annos in cura Animarum bonus Pastor impendit , quo annorum cursu Ecclesiam illam picturis , aulæis ornavit , pretiosis , argenteisque superiectilibus locupletavit , & Altare Beatæ Panaceæ ditissime auxit , de cujus favoribus , gratiis , & beneficiis scripsit duos Libellos , & M. S. posteriorum memoriæ reliquit . Demum post tot sacros , & assiduos exantlatos in Vinea Domini labores , ab agone mortalium ad coelestium felicitatem evolavit die 28. Junii an: 1679. Archiv. Cremon.

CAPEL.

**C**APELLUS VICTOR Venetus , Noster ab anno 1607. non tam familiæ , quam sapientiæ luce coruscavit . Magnis inter Nos spatio 26. annorum laboribus , & gradibus est functus , Vicarius , scilicet , ac Procurator Generalis , in Romana Curia , & Aula , virtutem , & probitatem suam probavit plures , & sui semper Victor , nominis tanti mensuram implevit . Ecclesiæ Famagustanae , Pastor datus est ab URBANO VIII. anno 1633. quam per quindecim annos administravit . Tandem in ætate 60. annorum diuturnis laboribus , & rebus gestis præclarus ad quietem pervenit anno æræ vulgaris 1648.

**C**APICCIUSLATRO JOHANNES MARIA Neapolitanus e Siani Ducibus moribus suavis , & ingenius , an: 1683. Congregationis Votis adstringitur , nihilque in ea , utut minimum quod pietatem foveret , omisit : Graviores scientiarum disciplinas haustrus Philosophiam , & primum Humaniores literas in Collegio Clementino de Urbe edocuit . Neapoli Rector fuit illius , quod vocant , Macedoniorum prope Iltis Maris ad Divæ Luciaæ . Isclanus Episcopus renunciatur a CLEMENTE XI. 22. Februarii 1718. ejusque possessionem tenuit usque ad annum 1739. , in quo septuagenario major occubuit . Ex Ugbell. Ital. Sacr. , Vid. Somasca Graduata memor. Histor. pag. 99.

Vide  
pag. 165.

**C**ARACCIOLUS JOHANNES BAPTISTA e Sole Neapolitanus ex Comitibus Sancti Angeli , Sacre Theologiae Professor emeritus post obita nonnulla Ordinis munia Rectoratus , Consiliariatus , & Provincialatus , quadragesimo primo a sua solemnni Professione

ditione anno scilicet 1703. Calvensi Ecclesiæ præfектus est die 15. Januarii sub CLEMENTE XI. Obiit Neapoli die 5. Novembris 1714. annorum 65. sepultusque fuit in Capella Magni Siniscalchi Sergiani in Ecclesia Sancti Johannis de Carbonaria in gentilitiæ domus suæ sepulcro cum nobili inscriptione. *Vide apud Ughell. Ital. Sac.*

**C**ARCASSOLA CAROLUS Mediolanensis æque nobilis ingenio, ac sanguine in Rethorices, Philosophiæ, & Theologiæ Studiis mirandus claruit. Philosophicam facultatem Romæ, Theologicam Mediolani tradidit. In dicendo mirificus, in declamando aceritus, plures Orationes Panegyricas concinnavit, ad opportunitatem; in Domo Mediolanensi Divi Antonii Academiæ Faticosorum plurimum profuit, immo electus Princeps præfuit ab obitu Comitis Johannis Borromæi, in cuius laudem Funebrem Orationem summo audientium plausu intexuit. Obiit intempestive post annos 20. a Professione emissa. *De eo Picinell. in Athen.*

**C**ARO FRANCISCUS Veronensis in Gymnasio publico Salutis Venetiarum Eloquentiæ Professor, tum recentis Physicæ vindex, tum Sacræ Doctrinæ Magister: Ecclesiastes celeberrimus dignus fuit, qui illustriora Italiae suggesta conscenderit. Ad senium usque modo auditus est concionari, modo in Diatribis digladiare; præter Opuscula Theologica, quæ apud Nos asservantur in Collegio Veronensi, ubi devotissime diem ultimam clausit septuagenario major an: 1702. Ejus editiones sunt latinæ: Venetiis 1667. *Philosophia Naturalis*, ibidem 1688. *Philosophia Amphibia ex Aristotelis, & Democriti mente illustrata*, ibidem 1681. *Poe-*  
*tici*

*tioi Iusus*. Italicæ vero sunt: *Lettere Venetiis 1680.*, *Quaresimale* ibidem 1692., & ibidem *Prediche in Avvento*, item Paravii 1685. *Scuola di GESUCRISTO tenuta ne SS. Vangelj*, &c.

**C**ARPANUS LEO Mediolanensis cum non dubia oculorum fide majora quotidie sanctitatis experientia in Beato HIERONYMO Institutore Nostro deprehenderet, quam fama, & antea auribus accipisset, ipsi Socius adscribitur. Sacris initatus tantum pietate Sacerdotio fungebatur, ut virtutum exemplis ad æmulationem cæteros provocaret. Perfectionis studio, & humili sui abjectione primas Aulæ Dignitates a PAULO IV. sibi oblatas recusavit supplex Pontificem deprecatus, ne a suscepso humilioris vitæ Instituto amoveret: Morienti huic Pontifici adfuit, & strenue pietatis officijs juvit. PIO V. æque carus, quia æque probus, ab eo, Sacello, quod *Sancta Sanctorum* vocant, præficitur, & dum ibidem ægrotaret Carpanus, a Summo Pontifice invisit, & ipsum decubentem Vicaria Numinis majestate solatus est. Archiepiscopatum Neapolitanum ei offert, sed repudiavit humilius. Extremam tandem senectute confessus in Cœlum migravit ea virtutum laude, & sanctitatis opinione, qua par erat B. HIERONYMI MIANI Socius decederet. *Paul. Gregor. De-Ferrar. in Vita Hieronymi Aenil. Cap. 20.*, *Somasca Grad. mom. Hist. pag. 18.*

**C**ARRARA GABRIUS Venetus Philosophiæ, & Theologiæ Studiis præfudavit, subinde ad amorem literaturam propendens, Rethoricorum Libros in Nostris Athenis iussus est interpretari. Vir fuit

fuit incomparabilis doctrinæ , suavissimæ pietatis , Sacrorum Rituum observantissimus , cultus Divini , & cantus studiosissimus ; Regularis nedium intra quam extra Claustra vitæ exemplar , & exemplum . Amplissimum Divi Petri in Monfortio Collegium construi ore , manu , & industria in Mediolanensi Civitate curavit , erga Religionem sui amoris publicum monumentum . Vix uno verbo dixisset , non uno nomine magnæ ædificationis . Ab Actis ejusdem Colleg.

**C**ARRARA PAULUS & ipse Venetus Congregationis Præpositus Generalis sub an: 1638., itemque repetitis vicibus eodem gradu insignitus , nempe 1650. , & 1656. ter felicem reddidit Cœtum Nostrum , cuius publico bono profuisse dum viveret non contentus , etiam post mortem profuit parta Religioni Nostræ Divæ Mariæ Salutis Basilica , intuitu enim meritorum ejus , & industriarum ex Senatusconsulto Nobis Venetiis concessa fuit . Helluo Librorum fuit , nec non Encyclopedia literaturæ , singularis prope Vir , quo sapientiores pauci , felicior nemo : *Edidit Libros commentarios in Tobiam . Teste Crescent. in Præfid. Rom. Lib. 2.*

Vide  
ag. 165.

6.

**C**ASAROTTI BENEDICTUS Romanus vix Congregationem ingressus ad Evangelicæ perfectionis verticem contendit ; ea fuit regularis observantiæ laude prædictus , tanto sui ipsius contemptu , tanto carnis mortificandæ , humilitatis , silentii , contemplationis studio excellens in ipso ætatis flore , ut ex conformatio sermonis Domini terrena non saperet , & non vulgarem nactus fuerit sanctimoniacæ famam ; mortem nondum 20. annos natus , hominem exuit 1652. cum maiores

jores in dies ascensiones in corde suo disposuisset . Ex Tabul. Monfort. Mediol.

**C**ASTELLANUS BERNARDINUS Brixiensis literis , & prudentia præstans , ejus opera , & studio , ejusque Sanctorum Canonum peritia usus est Cæsar Gambara Episcopus Derthonensis cum ipsum tanquam Vicarium suum per totam Dicecesim expediti verit ad reformationem Ecclesiasticorum procurandam , neconon ad Ritus , Rubricasque rebus in Divinis instaurandas , & ad Monialium Clausuram inducendam , stabiliendamque ad mentem Concilii , & Summorum Pontificum PIÆ V. , & GREGORII XIII. , quod mirifice assecutus est : Christina Derthonensem Ducissa , hujus Viri fama vagante , ei , & Religiosis Nostris in Domo Sanctæ Mariæ Parvæ immorantibus Familiam suam , omnesque de Aula commendavit , ut eos in literis , disciplinis , & quod gratius erat , in pietatis , & morum Sanctorum praxi instituerent , cum opinio firma universem esset , Congregationem Somaschensem eo loci utiliore , perfectiorem cæteris fore . Cæterum Bernardinus pluribus Collegiis præfuit , & toti itidem Ordini Præpositus Generalis anno 1577. perpetua Doctrinæ , prudentiæ , & regularis observantiæ laude clarus , vixit , vitamque suam felicissima morte conclusit . De eo Dominic. Blancus Opusc. vulgo Giardinetto pag. 94. assert. in Archiv. Monfort. Mediol. , Somasca Grad. memor. Histor. pagina 25.

**C**ASTILIONÆUS ÆMILIANUS Vir spectatissimæ integritatis , & religionis , patria Mediolanensis scripsit Historiam Beatae Panaceæ Virginis , & Martiris ,

*tyris*, quam Mediolani evulgavit typis suis Ferrarius de anno 1679. Volvente prædicto Sæculo studiorum, & literarum amantissimus evolavit ad Superos Mediolani in Collegio Monfortiano.

**C**ATANEUS JOHANNES Bergomas, Beato *HIERONYMO MIANO* Patri Nostro de anno 1532. Socius adscribitur, eo Ductore pietatis fervore, in Deum, & in pauperes, orbosque parentibus caritatis ardore enituit quammaxime: Post, & ante *MIANI* obitum pia ejus sedulitas in Orphanos, multomagis ejus probitas ad augendum caritativum Institutum mirifice valuit. Sacerdotio iniciatus ardentि sollertia, & honesto vitae rumore, morumque dignitate Ferrariae pro Orphanis domicilium excitavit anno 1558. cui a Sancta Maria Blanca nomen factum, admovente ad properandum Orphanotrophium manum, & operam Hercule II. ejus Ferrarensis Ditionis Duce. In ea pietatis domo Æmilianæ caritatis ferventissimus Æmulator, totus commodis, & bono pauperum, orborumque fuit; & post aliquot annos a fundatione pii illius loci, ibidem non sine magno Civium mœrere ab humanis ereptus est. *Sanctinell. in Vita Hieron. Æmil. Cap. 8. pag. 47.*

**C**AVALLINI PETRUSANTONIUS Paduanus in Congregationem receptus anno 1570. calendis Octobris, omnium virtutum supernaturalium habitibus, & præfertim Theologicæ fidei fuit ornatus, & decorus. In Dœmones formidabilissimum habuit imperium, ita quod per totam Insubriam *Diaboli Flagellum* uno ore indigitaretur. Genuæ in Ecclesia Nostra Sanctæ Mariæ Magdalena cum ad ipsum fuisset addu-

cta

ta mulier beneficiis infecta, atque a Dœmone obsessa, statim orationi se dedit, absolutis precibus, inceptaque super eam adjuratione, a spiritu vexante ejus aspectui fœmina rapitur, & præcipitanter distrahitur, more Bacchantium Civitatem circumducta: Adstantes ne a Dœmone vel in Mare, vel in Scopulos allideretur pertinidi, & meticulosi Cavallino supplicant ut insequatur, & Dœmonem coercent: At ille: *Oremus*, inquit, *citissime aderit illæsa*: Effusis hinc ad Deum precibus, & pulsato deinceps Missarum tintinnabulo, ex improviso ante ejus pedes mulier regressa stetit, summo omnium stupore, & lætitia, quam exorcizatam, & communione refectam incolumen, & libertate donatam ad propria remisit. Obiit Vir eximius initio XVII. Sæculi meritorum cumulatissimus. *Ex Chronolog. Adnot. Semenz. in Tabul. Monfort. Mediol.*

**C**ERCHIARIUS ALOYSIUS Vicentinus an: 1603. natus, expleto studiorum curriculo celeberrimi Vatis, & Oratoris laudem Bergomi, ubi scholasticas disciplinas tradidit, & Venetiis, ubi in Seminario Patriarchali Oratoriæ Palestram, & *Generosorum Academiam* aperuit natus est. Senatorum illius Reipublicæ primis, & Friderico Cardinali Cornelio affatim innotuit; Hic aptum eum censuit, qui Familiae suæ annales intexeret. Romanum accitus cum in Oratione quadam Legati Hispani aures offendisset, illico de Patrum consilio in Lombardiam mox Venetias ad intermissas exercitationes rediit, quod reliquum otii erat Ordinis Nostri historiæ destinavit, cuius privatum specimen dedit. In Rectorem Bugellæ designatus ex ferventissima Æstatis vehementia febri acuta correptus in itinere,

E 2

Hof-

Hospes Sancti Syri Alexandriæ a Palea suæ juventutis flore , & apice virtutis anno 1636. vixit , ætatis suæ 33. Ejus leguntur cusa Bergomi an: 1634. , & recusa Mediolani an: 1659. duo Volumina : *Poeſias unum , Orationum alterum . De eo Morerius in Diction. Hist. , Thomasm. in Vit. Illustr. Viror.*

**C**ERCHIARIUS BARTHOLOMÆUS ex eodem Superioris stipite probatæ , integræque vitæ coruscantibus splendoribus decorus , variis in locis primum non infimæ notæ Concionator , & Apostolicus Declamator , dein in Confessionibus excipiendis indefesso labore celebris , leptiformis gratiæ donis Congregatiōnem totam illustravit , Ex infirmitate oculorum proſitus intuitu orbatus , mox petræ , cuius pondus decem unciarum , molestiis vexatus cum urinarum suppressione , morbi hujus horrendos cruciatuſ viginti & ultra menses patientissime sustinuit ad mortem , nec unquam auditus est per id tempus conqueri , sed justam de peccatis suis vindictam fassus , unice opem divinam , & veniam implorabat . Imminentis mortis appulsi imperterritus , quo vicinior exitus , eo intentius ei erat cœlestis Patriæ diderium . *De Deo , de Virgine , de Superis , & Virtutibus* proficuos Sermones miscebat , circumstantesque alloquebatur , ut jam tum lumine gloriæ irradiatum , quis forte crederet . Repetitis itaque , quæ moris sunt , Sacramentis , Extremaque Unctione roboratus , serenissimo vultu , JESUS , & MARIAE Sanctissima Nomina ingeminans , ad amœna Paradisi viridaria migravit Vicentiæ die 2. Januarii 1679. unde octoginta annos natus , psallentibus , & lacrymantibus Collegii Patribus , quo-

rum

rum preces , & orationes sociavit in transitu , *Ex Act. ejusdem Coll. pag. 217.*

**C**EVASCHUS JACOBUS Genuensis abdidit se in Somaschenium Cœtum an: 1694. calend. Julii , <sup>Vide pag. 166 et 192 et 221</sup> emenso studiorum curriculo , interiorum literarum Papiae , & Albingæ , Philosophiaæ Genuæ , ac Moralis Theologiæ in Episcopali Alexandrino Seminario Professor fuit . Tridenti Celsissimi , ac Reverendissimi Michaelis a Spaur Episcopi , & Principis Consiliarius Ecclesiasticus adlectus est an: 1711. Alexandria a Palea de an: 1717. Francisci Gattinarae Episcopi Theologus , & Examinator , ubi & Sancti Officii Consultor sub an: 1738. , neconon ibidem ad novennium Pastor Ecclesiæ Sancti Syri , & in præsens amplissimi Viri Episcopi Miroli a Consiliis . Alicubi in magni Jejunii diebus Concionator . In Collegio Sanctæ Mariæ Magdalena Genuæ ad septennium Novitiorum Magister , & plures Ordinarii , atque Extraordinarius Sanctimonialium Confessarius ; jam inde ad hanc diem quinquaginta annis suæ Congregationi inservivit intimis animi sensibus , non intermisso plane in suæ Religionis utilitatem obsequio . Edidit italicice : *Speculum Novitiorum Congregationis de Somasca , Papiae 1701. Quadragesimam Animæ , sive Meditationes pro tota Quadragesima , Camerini 1707. Orationem Panegyricam in laudem Divæ Magdalæ , Genuæ 1720. Somascam Graduatain , sive Historica Monumenta De Generalibus , Episcopis , &c. Vercellis 1743. Item Historiam Beati Rochi in decem Capita , Casali 1744. , & Librum latinum Carpintum ; cui titulus : Apollo Geminus Sacer , & Profanus . Genuæ 1732.*

CHIC.

**C**HICCHERIUS JOHANNES BAPTISTA in P<sup>o</sup>loponeso ortus anno 1702. ex illustribus Paren-  
tibus Berinsonæ Helvetiorum , ab adolescentia  
nempe anno 1719. die 30. Julii Congregationi nomen  
dedit , in qua cum severioribus disciplinis pietatem hau-  
sit , quam singulariter exhibuit Magister Novitiorum ;  
a primis annis in Rethorica Palæstra plurimum valuit ,  
ejusque nonnulla gratioſa poemata leguntur in Miscella-  
neis sub nomine *Speudo Messenio* : Edidit Comi an: 1732.  
Orationem ad studiorum Prolusionem sub titulo : *Ita-  
lica Poesis* , *Latinae in Scholis minime posthabenda* , itidem  
ibidem 1730. evulgavit hetrusco ferrone : *Avvertimenti  
Grammaticali cavati dalla Ortografia moderna Italiana* , ec.  
additis adnotacionibus , necnon in calce operis monitis  
pro familiaribus Epistolis conscribendis , item ibidem  
de an: 1734. impressit Opusc. , cui lemma : *Cinquanta  
motivi , pe' quali si debbe scegliere , e preferire fra le tan-  
te Sette , e Religioni , che in questo tempo vi sono tra-  
Cristiani , la Religione Cattolica Romana ec. , e tradotti  
dal Latino* , necnon ibidem aliud eodem an: , cui titu-  
lus : *Della prodigiosa Vita di Santa Brigida l'Iberneſe Ca-  
nonichessa Regolare di Santo Agostino Libri sei , esposti con  
alcune dichiarazioni Geografiche , ed Iſtoriche osservazioni* .  
Postremo typis consignavit suppresso nomine Librum præ-  
notatum : *Memorie della Vita di Monsign. Francesco Bo-  
nesana Vescovo di Como* . Mediolani 1742.

**C**IMARELLUS ALEXANDER Genuensis Vir mul-  
tis virtutum titulis speciosus , Vicentiae Superior  
constitutus de an: 1581. lucro Animarum non  
poenitendo concionatus est , & perpetuo Theologiam Mo-  
ratam Casus Conscientiae vocant , incredibili Auditorum  
fre-

frequentia , & commendatione ibidem tradidit . Ex ejus  
sanctissimo vivendi cultu , necnon Subditorum suorum  
exemplarissimis moribus , Ordo Noſter ea in Civitate  
Sanctorum Hominum Congregatio indigitabatur . Genuæ  
devotissime occubuit anno 1619. De eo Sement. in M. S.  
adnotat. asserv. in Archiv. Monfort. Mediolani .

**C**IOTTI ANGELUS Venetus spectatissimæ probita-  
tis Sacerdos , cum Contagium Genuæ debaccha-  
retur anno 1656. inter cæteros ex Noſtris , qui  
strenue se in ea communi calamitate geſerunt , Prin-  
cipem locum habet . Divinæ caritatis Zelo vehementer  
succensus , omnia pietatis officia erga lue fordinatos exer-  
cuit . Ipſe reliquus , & ſolus cæteris extintis , intre-  
pide omnibus præsto fuit , nihilque ab eo non intenta-  
tum , quo ſpirituali , aut temporali faluti cunctorum con-  
ſuleret . Unus ipſe Sacramentorum Minister , unus So-  
lator , & Medicus cuique affidebat , inserviebat , infu-  
dabatque in communi malo fervatus , & ſpecialibus a  
Deo favoribus proſectus ; Martyr caritatis Evangelicæ ,  
plenus meritis , & virtutibus , placato morbo , poſita-  
que lue Victor coronandus , ab hujus vitæ certamine  
ad triumphandum Cœlos conſcendit anno 1662. ætatis  
ſuæ 71. De tam egregio Viro meminit Anteriorius Augu-  
ſtinian. Excalceat. in ſuo Opere : *Li Lazzeretti di Geno-  
va pagina 542.*

**C**IRIA JOSEPH MARIA Cremonensis initio elapsi  
Sæculi Votis Religionis obſtringitur , cum post  
aliquot annos a Professione in Oratoria , & Poe-  
tica facultate excelleret , Romain Eloquentiæ Magister  
in Collegio Clementino profectus est , ibidem amoenif-  
ſima

Vide  
Pag. 168

sima Musarum viridaria perspatiatus , hausit ex eis tam  
hetruscae , quam latinæ linguæ suavitatem , venustatem , & gravitatem , ut quispiam potuerit suspicari neminem ipsi fore comparandum . Ejus excelsi ingenii frumentum ad Nos pervenere , O. lœ duæ , quarum prima evulgata est Romæ an: 1634. in laudem Episcopi Malloni C. R. S. , altera Venetiis anno 1640. in commendationem Tassi Torquati , necnon plurima alia *Epigrammata de Viris illustribus* , ut in Museo Historico Imperialis apud Junctas cuso prædictis anno , & loco . *Joannis*

*Vide  
pag. 169.*

**C**LERICI THOMAS Lombardus in Congregatione Oratoriæ Artis Professor eloquentissimus , Tridentum ad Clericalem Juventutem Literis imbuendam in eo Seminario Episcopali vocatus ; cum præceteris , qui eloquio , metro , & eruditione pollebant , eniteret , e vivis decesso anno 1658. Carolo Emanuele Madrutto ejus Civitatis Episcopo , & Principe , ipsi fuit Funebrium demandata celebritas ; hinc in atrata solemnitate plura contexuit Elogia , plura Epicedia , Epitaphia multa , Inscriptiones non paucæ , Symbolis , & Emblematibus ornato peggiate , duæ institutæ ab eo Orationes Funebres , quarum alteram in Cathedrali , alteram in Oratorio Divi Philippi Nerii habuit . Hæc omnia , & singula fuere excepta , & audita tanto plausu , & rumore , ut in unum collecta prælis Episcopalibus fuerint evulgata an: 1659. sub hoc lemmate : *Pompa funebre ne' Funerali fatti nella Chiesa Cattedrale di Trento all' Eccellenza Reverendissima di Monsignore Carlo Emanuele Madrucci Vescovo , e Principe di Trento , ec.* Porro eruditissimus Orator egregiis suis laboribus Congregacionis .

**41**  
nis aucto ibidem , & alibi nomine , extrema clausit anno 1669.

**C**OMENDU~~LI~~ EVANGELISTA Cremonensis *Vide pag. 169.* ta Congregationis emisit anno 1635. 20. Novembris , Vir plane in omni doctrinæ genere , & præsertim Sacrorum Canonum exultissimus : Sapiencia , consilio , disciplinæque regularis Zelo percelebris : Quater ad totius Congregationis supremam administrationem designatus , quater recusavit ; dignissimus eo , quod respuit , imperio , dignior tamen si imperasset . Cremonæ Inquisitionis Consultor , Episcoporum Consiliarius , & Examinator in Clero ; iis muneribus adeo laudabiliter perfunctus est , ut ejus præclara facta , & merita nulla oblitione deleantur , & etiam nunc de meliori nota commendentur . Reliquit in Archivio Collegii Divæ Luciæ in Patria *Votorum* , seu *Consultationum fascem* , dum pro Fidei Quæsitoribus Consultor , & Assistens adlaboraret : Florenti ætate , dum in Collegio Laudensi Rethorices Præceptorem ageret , Mediolani impressæ sunt typis Cardi , ejus nonnullæ lucubrations in laudem Petri Vidoni Episcopi : *Orationem , Elogia , Carmen , & Epigrammata* continentis cum prædictus Præful honoris caussa Collegium Nostrum Laudi inviseret . Ætatis suæ 84. die 29. Aprilis 1700. exemplarissime mortem obivit Cremonæ , in Congregatione Generalis Vicarius . *De eo Arisi in sua Crem. liter.*

**C**OMES JOSEPH MARIA de Lugano ex Nostris ab an: 1672. 26. Julii Orator spectatissimus , Æthico-Philosophus , & Rhetor famigeratissimus , Comiti Josepho Archinto Moderator datus , eum multiplicibus

F

cibus literarum ornamentis insignivit , in cuius gratiam  
formis Mediolanensibus de an: 1715. edidit Librum , cui  
titulus : *Della Conversazione Avvertimenti civili , e morali .*  
Eminentio diuturno stadio Romæ in Collegio Clementino  
Rheticæ Palestræ Professor , in Patriam reversus Æthi-  
cis apprime vacans , itidem Mediolani publici juris fe-  
cit anno 1694. Opus summa eruditione , & labore com-  
pactum sub lemmate : *La Quistione della felicità* ; ibid.  
Orationem Panegyricam in laudem Divi Mauri præ-  
noratam : *Ragionamento in lode* , ec. anno 1693. , nec-  
non Opuseulum , cui titulus : *Meditazioni elegantissi-  
mo stylo exaratum*. Obiit Lugani anno 1724. die 26.  
Octobris .

**C**OMES PRIMUS Novocomensis , inter multos ,  
quos sibi B. HIERONYMUS Nostræ Congrega-  
tionis Fundator Socios adjunxit , primum locum  
obtinet , cui *primus* etiam nomen fuit : Non modo La-  
tinis , verum & Hebraicis , Chaldaicis , Arabicisque li-  
teris pereruditus , ob quas summopere ab Emanuele Sà  
commendatur , Humanæ , Divinaque Sapientiæ doctri-  
na fuit perillustris . Evangelicæ paupertatis , & rerum  
cœlestium præceptis excultus ; Orphanorum Domum a  
prædicto HIERONYMO institutarum curæ præficitur , si-  
quidem in eo eminentissima doctrina cum admirabili mo-  
rum sanctitate , suique despiciētia modo commendaba-  
tur , modo admirationi erat . Theologiam Scholasticam ,  
Moratam , Canonicam pluribus , ac diversis in Claustris  
est professus , itidem Sacram Scripturam apud alios re-  
ligiosos Ordines magna cum laude interpretatus est .  
Eius opera , & studio aliquot Marcianonii Majoragii di-  
seritissimi Oratoris monumenta prodierunt , immo lucu-  
bra-

brationes in partitiones Oratorias Ciceronis Petro Ga-  
larino inscriptæ a *Primo* in lucem datæ , maxime inter  
cætera Majoragii Opera laudantur . Multa & ipse lite-  
rarum monimenta reliquit Teste Vitali in Theat. Me-  
diolanensi pag. 28. , sed prælo non evulgavit . Ab Epis-  
copo Novocomensi ad novos quosdam e Valletellina  
errorum Magistros missus , ab insanis opinionibus re-  
vocavit , & ad Quæsitores Fidei adduxit . Concilio Tri-  
dentino interfuit de mandato PII IV. pro Episcopo Pa-  
tavino Romam accersito . Semel , atque iterum Epis-  
copales Infulas recusavit . Obiit ætatis suæ 93. an: Do-  
mini 1592. De eo Paul. Morig. Lib. 3. Cap. 13. de No-  
bilib. Mediol. , & Somasca Graduata pag. 18.

**C**OMES PAULUSMARIA Luganensis mente qui-  
dem , sed verius ex morum innocentia Angelus ,  
Congregationem ingressus est anno 1697. jam  
in Scholastica , & Mystica Theologia percelebris , ex  
Medicorum imperio ob adversam valetudinem Scientia-  
rum studiis valedicto , totum se pietati facravit : Trium  
Votorum perpetuus vindex Castitatem adeo coluit , ut  
ne verbulum quidem , quod totam honestatem non sa-  
peret unquam , sive jocose , sive serio protulerit , te-  
stificante id tota Congregatione : Evangelicam , religio-  
samque paupertatem exacte adeo custodivit , ut non  
solum a superfluis , verum quandoque & a necessariis  
ad usum abhoruerit ; nec quidpiam ex tacita , aut præ-  
sumpta , aut interpretativa Superiorum facultate infum-  
psit , quod expresse , & explicite non concederetur in-  
fumi . Diligens obedientiæ Alumnus nil magis in Votis  
habuit , quam ut in rebus agendis majorum mentem  
assequeretur , hinc factum est , ut sive ad gravia , sive  
ad

ad levia , sive ad grandia , sive ad vilia obeunda min-  
nera huc , illuc mitteretur , festino voluntatis obsequio  
paruerit non durus , non morosus , non reluctans . Do-  
mo non egrediebatur nisi jussus , aliis potius , quam  
sibi famulaturus ; cæterum totam diem , vel in medio  
Choro laudes divinas recitando transigebat , vel in Ca-  
mera orando flexis non raro super lateritia fragmenta  
genibus , ut ipsa orationis dulcedo ei militaret ad po-  
enam ; mortificationis , ac poenitentiarum amator fervi-  
dus ad multos annos pane ex milio , vel polenta unice  
pastus est . Ante quinquennium circiter ab obitu suo  
Placentiam vocatus merito obedientiæ , in eo Sancti Ste-  
phani Collegio , eaque Civitate ex pietatis , & virtutis  
suarum praxi eam nactus est celebritatem , ut iden-  
tidem , & universim Pater Sanctus appellaretur . Men-  
se Novembri vertente anni 1737. mortem suam non-  
nullis suis Poenitentibus prænuntiavit , ajens : Se non  
amplius eorum Confessiones auditurum , quod eventus pro-  
bavit , Kalend. enim Decembris ejusdem anni prima  
nocte lectum petiit proximam mortem causatus , die  
tertia exomologesi peracta , Sacro Viatico refici ursit ,  
sed accitis Medicæ Artis Doctoribus , hisque explorato  
ejus pulsu , unanimiter sanum afferentibus , nullaque ,  
vel levis infirmitatis specie laborare concilantibus ,  
vesanum potius , quam ægrotum dictitabant : Quid au-  
tem subiratus Superior prædictum mortis , necnon Sa-  
cramenti petitionem dementiæ decumbentis , non Re-  
ligioni assumens , ei denegat communionem ; verum  
is repetitis studiis , ingeminatisque obsecrationibus testa-  
batur e lecto , vel arteria contradicente , vel Medico  
reclamante se brevi moriturum , nec alio levamine sibi  
posse satisfieri , quam Eucharistico , fassus aperte se ab-

scendi-

scöndite ægrotare , & plane quidem , ardebat enim in-  
tus cœlestibus flammis , insumebaturque Divini amoris  
igne , qui consumens est ; Morigerus tandem Collegii  
Præses ex precum importunitate , non ex necessitate  
petentis , Eucharistiam ei defert die prædicti mensis se-  
xta , qua recepta , extemplo artus sensim languescere ,  
vires enevari , corpus debilitari , & ad mortem verge-  
re innotuit , sine febri , pulsatione constanti , ignota Me-  
dicis ægritudine , cum secreto ardentissimi amoris in  
Deum telo , ut conjici potuit , periret ; Unctus festi-  
ne Oleo-Sancto ad luctam , devotissimam Animam die  
decima præfati mensis , & anni vultu hilari , & ore  
ridente emisit . Porro pulsatis de more Campanis , nec  
non intellecto religiosissimi Viri transitu unum dicebant  
omnes : Mortuus est Pater Sanctus ; ad ejus funera tota  
Urbs sese effudit pluribus ejus manus , & pedes oscu-  
lantibus , nonnullis aliis abscentibus frustula indu-  
mentorum , sepultus est in Nostro Sarcophago ætatis sue  
57. honoratori loco cum plumbea lamina ejus nomine  
inscripta , & multis post mensibus referato ex occasio-  
ne Conditorio ejus corpus physiognomia integra reper-  
tum est , & corruptionis expers . Ex Auth. Relat. præ-  
dicti Collegii .

**C**ONELLA JOHANNES BAPTISTA Savonensis ;  
morum probitate , vitæ integritate , ac doctrinæ  
præstantia clarissimus , Mediolani in Orphanotro-  
phio Divi Martini , quo Patres sub anno 1569. die 28.  
Aprilis Vota emissuri de licentia Papæ Sancti PII V.  
convenerant , interfuit , & Clericus , seu nondum Sa-  
cerdos suffragium pro nuncupatione Votorum tulit , que  
subinde in manu Venerabilis Patris Angeli Marci Gam-  
bara-

baranæ paulo post & ipse nuncupavit. Pro tuendis promovendisque piis operibus in Orphanorum cura egregium animum exhibuit, ut alterum in eo *HIERONYMUM ÆMILLANUM* Orphanorum, pauperumque Patrem datum credidisses; sanctimoniae, & virtutum merito suffragante Præpositus Generalis anno 1581. Congregationis creatus est, atque ejusmodi supremum Magistratum tanta pietate, & vigilantia gessit, ut ne præcæ probitatis homines potuissent ab eo quidquam absolutius desiderare: Anno octogesimo secundo a prædicto Sæculo die 17. Novembris Venerabilis Patris Evangelistæ Aurati solemnia Vota suscepit, sancteque Sanctum Deo inscripsit. *Tabul. Monfort. ex adnot. Patris Sement. Mediol. in Colleg. Sancti Petri.*

**C**ONOBIUS, sive CANOBIUS GEORGIUS Venetus excelsi ingenii, & paris doctrinæ, inter Suos *Sapientiae Monstrum* identidem dicebatur, tantus ei erat eloquii splendor, tanta scientiarum amplitudo, & mæstas literarum. Suo Ævo sapientiores, ejus consuetudine usi sunt familiariter, nec ullus Contubernialis, qui ejus scientificam, atque eruditam animam non fuerit admiratus, sive Theologum ageret, sive Oratorem. Plura scripsit, quæ utinam ad nos pervenissent, sed alia aberrata, alia consumpta, excepta una *Oratione in Parentalibus Cardinalis Francisci Vendrameni Venetiarum Patriarchæ*, quæ edita prodiit inter Declamationum Libros Patris Rugerii num. 41. pag. 401. E vivis abiit anno Domini 1626. Ejus funera, coacto Eruditorum Coetu, ritu academico celebrata sunt, persolutis de more Justis Exequiarum.

CON.

**C**ONTARDUS ANDRÆAS Januensis ex cuius nobili Gente anno 1230. fuit Gulielmus Episcopus Brugnatensis, indeque primus Naulensis ab anno 1239. sanguinis nobilitati, eam quæ ex virtutibus patratur, adjunxit. Nostris adscriptus est anno 1585. Genuæ Nobis Collegium Divæ Magdalenaæ, Derthonæ Ecclesiam excitavit. Pientissimus Sacerdos quoties ad Altare Crucifixi Sacrum peragebat intuens vulnera Christi, & Crucem, totus in lacrymas effundebatur, immo erga Passionem Domini tam mirifice erat affectus, ut in Bacchanalium triduo, quod Pater Alexander Cimarellus in Divæ Magdalenaæ prædicta Ecclesia instituit de anno 1613., sermones quotannis de Christi Martyrio concinnaret. Pro Horatio Cardinali Spinola Archiépiscopo in Legatione Ferrarensi detento locum tenuit, nec absimiliter pro Episcopo Derthonensi Maphæo Gambara cum Derthona abesset, in hac Civitate anno 1595. ubi ad multos annos Theologiam Moralem in Palatio Episcopali dictavit; Societatem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo instituit solemni supplicatione, cuius Simulacrum in Nostra Ecclesia situm est anno 1601. indeque Nostris facultas impertiendæ Benedictionis Papalis accessit. Genuæ cum domicilaris esset, consuevit quandoque supra monitem vigesimo ab Urbe lapide, in Ædiculam Sancti Joachim, quam ædificari ipse curaverat, se recipere; foli Deo vacans, Lectiones, & Orationes octo fere diei horas, ibi protrahebat jejuniis, flagellis, & catenatis ciliciis corpus suum domans. Mediolanum accersitus ad pietatis, & christianæ caritatis exercitamenta in pervigilio Divi Antonii Abbatis sub anno 1620. Vir Apostolicus decessit. Audito ejus obitu Genuæ, ululatus, & ploratus multus in Curia, Senatu,

&

& Populo , coacto Præposito Generali Tortora quidquid Contardo usui erat partiri in supplices . *Dominic Blancus in suo Opere M. S. vulgo il Giardinetto , Somasca Graduata pag. 33.*

**C**ORSONIUS EVANGELISTA , diu in Seminario Patriarchali Venetiarum Venetus Alumnus , quem Vener. Pater *EVANGELISTA AURATUS* cum Clericalem illum Cœtum nobis demandatum Præpositus Generalis sub anno 1593. inviseret , in nostram Congregationem recipiendum , optimumque pietate , & literis Virum futurum prædixit , in eam quidem post a prædictione triennium receptus tanta religione , & doctrina excelluit , ut ad amissum vaticinium unde quaque impleverit , disciplinæ regularis Zelator servidus , & scientiarum Cultor studiosissimus , proindeque benemeritus , Collegii Genuensis . Præpositus constitutus est ab anno 1621. Evulgavit anno 1606. Venetiis : *Adnotationes doctissimas in Lib. 2. Emblematum Christophori Finotti sua ætate Poetæ celeberrimi . De eo Speranz. in Vit. Evangel. Dorati , quæ affervatur in Archiv. Colleg. Divæ Lucie Cremonæ .*

Vide  
pag. 172.

9.

**C**ORRADUS JULIUSCÆSAR Cremonensis solemnia Vota nuncupavit anno 1662. die 22. Octobris . Acutissimi Theologi , & Philosophi nomen sibi comparavit . Theologicam Cathedram Romæ in Collegio Clementino tanto plausu ascendit , & sustinuit , ut ampla ea in Civitate neminem latuerit , & Cardinalis Ludovisi Theologi sui tessera ornaverit : INNOCENTIUS XI. , ut eum in arduitatibus , & spinosis argumentis consulenter sèpissime jussit : Hinc factum est ,

est , ut in propositionibus qualificandis , in calibus resolvendis , in consultationibus exarandis pressus die , nosteque oppressus , dum Spoletii esset ad levamen , appoplexia correptus præproperam mortem obivérit die 19. Novembris 1683. Laudatur a Josepho Sementio prolixa Ode italicice conscripta , cui titulus : *La requie eterna implorata all' Anima del Padre D. Giuliocesare Corradi C. R. S. Soggetto glorioso per gli Studj suoi di Rettorica , Filosofia , e Teologia . Arisi Tom. 3. Crem. liter.*

**C**OSMI STEPHANUS Venetus , mente æque , ac moribus præstans , in arduis dexter , in summis expeditus , omnibusque virtutibus exornatus ; ipsi sanctum , intemeratumque fuit omnem vitæ particulam in bonum , & commodum Congregationis impendere ; Venetiis in eo uno publici Oratoris munus obeunte germanam Eloquentiæ ideam Venetorum Republic. admirata est , & maximam consilii maturitatem cum integritate conjunctam , dum Bullæ Clementinæ Conservatoris gradu , necnon Censoris Librorum titulo fuit inauguratus , suspexit : INNOCENTIUS XI. ad Archiepiscopatum Spalatensem in ætate 48. annorum evenit anno 1678. Piissimus Cardinalis Leander Colloredus INNOCENTIUM XII. ursit , ut eundem Romana Purpura decoraret anno 1696. triginta sere annos Spalatensem Ecclesiam rexit , & annum agens septimum supra septuagesimum extrema clausit de anno 1708. insignia ingenii sui monumenta sunt : *Physica universalis in 8. Libros distincta , Venetiis 1659. Hermathena , sive Orationes Funebres , Ferrariae 1691. Constitutiones Congregationis de Somasca , addita appendice Decretorum Sedis Apostolicae , Venetiis 1677. Item vernaculo sermone Opus supra*

*G*  
Item. In funere Exci. Ferdinandi de Vera ap. Ser. Remp. Venet. Ovatori Philippi IV. Oratio habita a P. D. Stephano Cosmo C. R. S. In Ducali Cancell. publico professorie. Venetijs 1663. Ex Typogr. Ducali Pinelliana.

supra fidem commendatum , cui titulus : *Memorie Storiche sopra la vita del Cardinale Morosini Vescovo di Brescia* , Ibid. 1676. *Nazar.* in *Diar.* literat. 30. Aug. 1676. *Somasca Graduata pag. 75.*, *Petricell.* in *ejus Vita*.

**C**OSSALI DAMIANUS Cremonensis professus die 19. Augusti 1639, excelluit in humanioribus literis , quas in celebrioribus Academiis docuit . Scriptorum amantissimus , lectissimos Libros collegit non ad ostentationem ingenii , sed ad utilitatem eruditionis . Caroli Emmanuelis Madrutii Episcopi , & Principis Tridentini in amoribus fuit , in ejus funere cum emineret eloquio , celissimi Præfulis jacturam impressis elogis lacrymatus est anno 1658. Scripsit etiam varias Elucubrationes vincita periodo typis datas , de quibus meminit Arisius in sua Cremona literata , periodumque mortalitatis suæ absolvit , & conclusit dum esset Cremonæ Præpositus 24. Januarii 1682,

**C**RESCENTIUS ALEXANDER Romanus in Congregatione omnium virtutum fontes hausit : Sub URBANO VIII, Episcopus Termularum creatur . Sub INNOCENTIO X, Orthonensem , & Campensem Ecclesiastis gubernavit , sed de anno 1652. die 26. Augusti ad Butuntinam transfertur , quam usque ad annum 1668, plentissime rexit : Indidem Nuntius ad Sabaudiae Ducem mittitur , & Taurini Sanctissimi Crucifixi Moniales instituit , quod Monasterium in præsens cæteris nobilitate , & religione præstat : Subinde Neapoli Inquisitoris munere functus est : Butuntina Ecclesia resignata Romæ substitut , & CLEMENTIS X. Pontifici Cubiculi Præfectus constitutus est , prius Alexandro

dtino Patriarchatu auctus de anno 1671. die 19. Januarii , a quo itidem Summo Pontifice anno 1675. die 27. Maii Presbyter Cardinalis renuntiatur tit. Sanctæ Præscæ , cuius Ædem , & Augustinianorum de Lombardia Cœnobium instauravit , & suis refecit impensis . Inter Eminentissimos Patres cooptatus Recanatensi , & Lauritanæ Ecclesiis sacrum jus dicere jubetur , quas cum per sexennium administrasset , in eisque mirifice divinum cultum auxisset tali munere se exsolvit . Reversus Romam fractus laboribus , ea sanctitate , qua Episcopus federat Butunti , Cardinalis Romæ quievit an: 1688. De eo Ughell. , necnon Somasca Graduata pag. 65.

**C**RIVELLI JOHANNES FRANCISCUS Venetus , Vir celeberrimus , illustrioribus Europæ Academicis adscriptus , toti Orbi notus , plures in Congregatione Rector , & Præpositus , Provincialis inter Venetos , patriis Bibliopolii consignavit : *Elementa Arithmeticæ numerice , & literalis* de anno 1740. , quæ superioribus annis , nempe 1728. fuerant italis literis evulgata ; item Opus in duos Tomos divisum , cusum anno 1731. , & recusum 1743. , cui titulus : *Elementi di Fisica* , itidem aliud sub lemmate : *Nuova Elementare di Geometria* 1738. In Diario magno Europæ Tom. 2. p. 1. ejus edita legitur Dissertation : *Delle Forze Motrici* . In Opusculis scientificis collectis a Calogerà Tom. 28. habentur Dissertationes : *Delle Leggi del Moto* , *delle Forze vive* . Reliquit M. SS. italicice : *Soluzione de' Problemi di Diofante* : Vol. 1. *Tractatus de Locis Geometricis* ; *De Constructione Aequationum* ; *De Quadratura Curvarum* ; *De Calculo Integrali* ; *De Tride* . Obiit Venetiis die 13. Februarii anno 1743. ætatis sue 52. Eum prolixe

*prolixe laudat predictus Calogerà in cit. Tom. 28. Opusc. Scientific.*

**C**UPILLI STEPHANUS Venetus in Congregatio-  
ne ab an: 1676. religiosissimæ viræ exemplum,  
in Episcopatu perfectissimæ caritatis exemplar,  
sub INNOCENTIO XII. ad Traguriensem Ecclesiam  
ejectus, post aliquot annos a CLEMENTE XI. ad Ar-  
chiepiscopatus Spalatensis Pallium transfertur an: 1708.  
Quammaxime in Praefulatu ejus sanctitas, animi forti-  
tudo, misericordia, divinarum rerum sollicitudo Pa-  
storalis inclaruit: Ejus Palatum pauperum, & peregrin-  
orum in diem viventium domus habebatur, undique  
adventantes egeni ibidem recipiebantur, alimentis re-  
fecti promiscue, nemini limen obstructum, omnibus  
arca Epularum cistæque patebant, noverat enim aman-  
tissimus Praeful, & pauperum Pater, etsi iis dotibus  
præclarissimis ornaretur, quibus optimi quique florue-  
runt virtutes omnes una complecti caritate, quæ in-  
pauperes arderet, eamque licet omnibus, præsertim  
vero Episcopis a Christo, ab Apostolis, & Patribus esse  
præceptam, & commendatam: Appositis dapibus, ege-  
nisque accumbentibus ipse inserviebat ad mensam, eru-  
diebat ad pietatem, ad Dei amorem excitabat, ita quod  
alio divertentes mendici, sanctissimi Hospitis præconia-  
cum ipsis peregrinarentur; cum adhuc Traguriensis Ec-  
clesiae Sedem impleret, doctus æque, ac pius, lin-  
guæque Arabicæ peritissimus a CLEMENTE XI. primis  
præsentis Sæculi annis ad Moscovitarum Imperatorem  
Nuntius Apostolicus declaratus est cum potestate Lega-  
ti, licet illa sacra expeditio fuerit, nescio quo fato in-  
tercisa; mortuo Archiepiscopo Spalatensi Stephano Cos-  
mi

mi eidem suffectus, sibi non absimilis, christianæ Re-  
ligionis, necnon Divini Nominis Zelator mirificus in-  
ter cætera hoc singulare Pastoralis sollicitudinis docu-  
mentum posteris tradidit: Obsidebant Turcæ Archi-  
diœcesis suæ Oppidum Zim, aut Sim vocant, nedum  
fortunas Incolarum, quam Fidem deprædaturi, optimus  
Pastor zelo zelatus pro Domo Dei defensurus a  
Lupis Oves, accepto vix periculi nuncio; Mitra, Ba-  
culo, & Pontificalibus indutus paludamentis, collecta  
Ecclesiasticorum acie, cataphractorum comitatus copiis  
perincommodo itinere ad obsecros præsidarius accessit,  
in conspectum datus, perterriti Hostes, animoque con-  
tracti turpissimam in fugam conjecti sunt, exultantibus  
Ovibus, Pastore triumphante: Quid ni Maumethicos  
impetus comprimat Praeful tam singulari tutandæ Reli-  
gionis catholicæ zelo æstuans? Vixit in Archiepiscopatu  
duodecim circiter annos, & vitæ mortalis metam atti-  
git ætatis suæ 66. Domini vero 1720. Ejus Vitam scrip-  
xit Nicolaus Petricelli typis evulgatam in Tom. 28. Opusc.  
Scientific. Calogerà.

**C**USANUS OCTAVIUS Mediolanensis Noster ab  
anno 1670. 26. Novembris multiplici doctrina-  
clarus, Mathematicus, Philosophus, & Theo-  
logus, Procurator Generalis, & Generalis Præpositus  
de anno 1704., Cardinalis De-Abdua a consiliis. In  
Liceis quot Discipulos habuit, tot fere Magistros con-  
stituit. Vocatus identidem ex improviso in Diatribarum  
arenam adeo valida sibi præsto erant argumenta queis  
pugnabat, & oppugnabat, ut longo studio præmedita-  
ta viderentur, porro ex ejus luculento ratiocinio Ca-  
thedras sustinentibus par honor, & metus erat. Inter  
ca-

cætera , quæ scholastice scripsit quæque apud Nos affer-  
vantur principem locum habet ejus subtilissimus , ac  
omni ævo laudandus : *Tractatus de Actibus Humanis* ,  
qui utinam publici juris fieret ad literariæ rei emolu-  
mentum . Obiit Mediolani annorum 72. a partu Vir-  
gineo 1727. Ejusque meminit Joseph Maria Stampa in suis  
*Poeticis* , *Miscellan.* cent. 2. n. 38.

## D

**D**E-AMORE JACOBUS Pedemontanus , in No-  
stris Athenis Eloquentiæ Professor , inter Ora-  
tores dicendi acumine , & eruditione Venetiis  
floruit ; Ticini latino prælo commisit Librum elegantis-  
simum *Orationum* , italico Veneto alium gratiofissimum ,  
cui titulus : *Discorsi academici sopra Cornelio Tacito an-*  
1656. , item de anno 1658. ibidem Opus prænotatum :  
*Rhetorica Palestra* , sive *Exercitationes literarie* . Obiit  
Venetiis ætatis suæ 66. Domini vero 1674.

**D**E-ANGELIS AUGUSTINUS Angrensis ortus  
an: 1606. in Philosophicis , & Theologicis sep-  
tem supra triginta annos Professor emensus est.  
In publico Romanæ Sapientiæ Gymnasio Lector Ordinarius  
Cathedram sustinuit cum singulari plausu , Sacré  
Congregationis Indicis Consultor , ad Episcopatum Um-  
briaticensem sub CLEMENTE IX. electus est an: 1667.  
ætatis suæ 61. Obiit anno 1681. mense Aprili . Pluri-  
ma edidit , quorum Elenchus :

Lc

Lectiones Theologicæ de Deo  
clare viso , omnia Scien-  
te , nos Prædestinante ,  
ac omnia Creante . Ro-  
mæ 1664.

Lectiones De Deo ut Tri-  
no , & ut Incarnato . Ibi-  
dem 1666.

Lectiones Astronomicæ . Ibid.  
1664.

Homologia , seu Consensus  
Historiæ Ecclesiasticæ cum  
SS. Canonibus , Concilis ,  
Epistolis Decretal. , Bul-  
lis , seu Constitutionibus  
SS. Pontificum . Ibidem  
1666.

Duodecim Radii , quibus  
a visibili Ecclesiæ Sole  
Alex. VII. Beatæ Virgi-  
nis Mariæ preservatio a  
peccato originali illustra-  
tur , & illuminatur . Pu-  
teol. 1661.

Manuale Propugnaculi , quod

De hoc egregio Viro meminere Topp. in Bibl. Neap. , Ma-  
racc. in Append. de Script. Marian.

**D**E-ANGELIS HIERONYMUS Domo Neapolita-  
nus , ab anno 1667. die 1. Novembris profes-  
sus est Congregationem , excelluit eximius Theo-  
lo-

55  
olim Hiacyntbo Albarego  
objecit Ludovicus Crispus  
a Borgia pro Immaculata  
Beatæ Virginis Conceptio-  
ne . Panormi 1660.

Lectiones Philosophicæ . Nea-  
polis 1652.

Lectiones Meteorologicæ . Ibi-  
dem 1653.

De recto usu opinionis pro-  
babilis . Romæ 1667.

De origine Sanctæ Mariæ  
de Auxiliis purissime , &  
immaculate Conceptæ Pa-  
negyricus Theolog. Neap.  
1659.

Apologia pro eodem Discur-  
su Theologico . Inglosta-  
dii 1660.

Tractatus Theologicus de  
Immaculata Concepcione .  
Beatæ Virginis Maric a  
peccato originali preser-  
vatæ . Puteol. 1661.

*logus*, Vates extemporaneus, & Matheseos laudatissima praxi excultus: A Dignitatibus semper abhorruit unice studiis, & solitudini deditus; ne se otiosum ostenderet posteris, edidit Neapoli *Libellum*, cui titulus: *Logicæ Sunnulæ*, in quibus valide quartam Galeni figuram in ratiocinandi usu propugnat sub anno 1693. Devotissime tandem, prope septuagenarius, e vivis in Patria abiit anno Domini 1703.

**D**E-DOMIS AUGUSTINUS Mediolanensis Theologiae Doctor eximus, duodeviginti, & ultra in Moralibus, totidemque in Speculativis annos Lectorem egit; ex earum diutina professione, & studio antonomalitice: *Theologus* nuncupabatur. Scripsit *Traictatus Theologicos* in diversis argumentis, qui plene docent quanta scientiarum copia abundaverit; ejus Scripta propter eorum perspicuitatem, & rationum momenta, & ut plurimum e doctrinæ Thomisticae fontibus hausta, diu post ejus obitum in nostris Auditoriis a Professoribus dictata fuere in tanti Viri celebritatem, & faciliorem Auditorum captum. Extrema clausit sexaginta sex annos natus Mediolani, Congregationis Confiliarius die 14. Januarii 1682.

**D**E-DOMIS MAURITIUS, & ipse Mediolanensis, ingenio, facundia, rerum agendarum prudenter ad omnia summa natus, Congregationem doctrina, observantia, Legibus auxit; Mediolani Theologiae, Venetiis Philosophiae Professor insudavit. Laudi, Salodii, necnon in pluribus aliis Civitatis Concionator insonuit: Effusis ubique eruditionis suæ radiis ad totius Congregationis clavum tertio sedid:

Adver-

Adversis, prosperisque major, semper sibi par: Obiit Mediolani anno 1636. sexagesimum annum agens in Orphanotrophio Divi Martini, evulgavit varias Funebres *Orationes*, item Genuæ an: 1617., & Mediolani 1609. nonnullos *Panegyricos*. Typis autem Brixiensibus de an: 1622., & Mediolanensisibus de an: 1624. commisit italice, & latine scriptas: *Constitutiones pro Novitiis primæ Probationis*, & *Adolescentibus Professis secundæ Probationis Clericorum Regularium de Somasca*, & *Doctrinæ Christianæ in Gallia*. De eo *Crescent. in Præsid. Rom. Lib. 2. Athenæum Mediolanens.*, *Somasca Graduata mem. Histor. pagina 78.*

**D**E-FEDERICII JOHANNES BAPTISTA De Spedia celebri Genuensium Oppido Congregationi adscriptus ab anno 1681. floruit elegantissimis lucubrationibus in Collegio Clementino, & Chromaticis Musis; ex magno sui nomine quandoque in Archigymnasio Romanæ Sapientiæ Professor Eloquentiæ subrogatus est a Doctiss. Viro Michaeli Bruguerez ibidem Ordinario Lectore. Concionator non irfirme notæ Albingæ, Genuæ, Fossani, Tridenti, Veronæ, auditus est. Ex hac mortali vita eripitur Genuæ ætatis suæ 63. an: Domini 1728. dum in Ecclesia Divæ Magdalæ Sermones pomeridianos haberet. Reliquit *Conciones M. SS. in Quadragesima*; prælo Romano dedit an: 1694. Opus Academicum in laudem Serenissimi Silvestri Valerii Ducis Venetiarum, & anno 1696. Carmen seculare cum Elogiis, & Epigrammatibus, italis, & latinis, dum annum a CLEMENTE VIII. Fundatore Collegium Clementinum centesimum celebraret; item typis Genuensis edidit anno 1700. *Orationem in Parentibus Reverendissimi Par-*

H

tris

*tris Fr. Johannis Petri De-Busto Capuccinorum Generalis, & Hispaniarum Magnatis, necnon 1716. Orationem Panegyricam in Inauguratione Serenissimi Ducis Reipubl. Januensis Laurentii Centurioni. Postremo cum in magno Jejunio ad celsissimum Principem, & Episcopum Tridentinum concionaretur anno 1717, evulgavit Panegyrim in festo Beati Simonini Pueri Tridentini.*

**D**E-FERRARIIS PAULUS GREGORIUS Genuen-sis in Ferreo cognominé aureus plane Vir; præcipuis Congregationis honoribus cohonestatus, Majores meritus, Provincialis, Procuratoris, & Vicarii Generalis titulos illustravit, Orator, & Vates, Sophus itidem, & Theologus in Cathedris enituit commendatissimus, Plures sparsim circumferuntur ejus stylo metrico *Lucubrationses*, suppresso nomine; item edit Opus Scholasticum, cui titulus: *Philosophia contracta*. Venetiis 1651. necnon ibidem anno 1676, italice: *La Vita del Ven. Padre GIROLAMO MIANI*.

**D**E-FRANCHIS FRANCISCUS MARIA Genuen-sis Congregationis Nostræ ab an: 1665. Vir sanguine, virtute, & doctrina multi nominis. Vocalis Comitiorum generalium pluries in numero *duodecim* sedet. De mandato Capituli Generalis scripsit typis Bononiensibus de anno 1703. *Ritualia* ad usum Congregationis Nostræ; in quibus omnia spectantia ad Capitula, functiones, & solemnitates &c, dilucide exponuntur: Ætatis suæ 67. Domini vero 1705, hujscè vitæ cursum Genuæ explevit.

DE-

**D**E-LANCIANO JOHANNES Neapolitanus in Sa-culo Jurisutriusque Doctor ornatissimus, in Con-gregatione Theologus scitissimus, ob ejus exi-miam pietatem, & spirituum discretionem Venerabilis Victoriae Stratæ Monialium Coelestium vulgo *Turchinæ* Fundatrici a Confessionibus datus est anno 1616. Com-pleto Confessarii munere secum illius Corollam, quam in laudem Deiparae usurpabat, asportavit, & cum Ca-sertæ Collegii Præpositus Sanctæ Mariæ de Monte age-ret, cuidam pluribus morbis affectæ pœnitenti eam ap-plicuit, & illico ex ejusdem contactu in integrum ægropa-ta convaluit. Evulgavit: *Animadversiones Theologicas in gesta, & vitam Venerabilis Mariæ Laurentiæ Longæ Capuccinarum Institutricis*, quam conscripsit metrico-latinis literis Laurentius Longus C. R. S. quasque in italicas traduxit Fridericus Malpieri itidem C. R. S. *De eo Crescens in Præsid. Rom. Lib. 2, n. 24. mentionem facit.*

**D**E-LANCI MARIUS Bergomensis alter ex Sociis Beati HIERONYMI MIANI Fundatoris, cuius post obitum cum nonnulli ipsius Sectatores ab Insti-tuto caritatis erga pauperes, orbosque parentibus defi-cerent, manibus, pedibusque servorum pauperum Socie-tatem a MIANO institutam pridem, & tunc ab ejus transitu nempe ab anno 1537. prope labentem, rexit, servavit, & constante vocatione, spiritu ædificationis incendit. Anno 1538. ab Episcopis, & Ordinariis locorum obtinuit, ut nedum Mediolani, sed & Bergomi, & alibi ad menem HIERONYMI Institutoris, prædicta caritatis officia ejus Discipuli exercent, & sartam re-stam Orphanorum institutionem tuerentur, concessis subinde Indulgentiis pro in illorum commodum, sub-sidia

H 2

sidia conferentibus . Vir plane singularis erga Deum , & homines pietate fuit : Zelo , fervore , animique ardore in piis operibus fovendis nemini secundus , ejus hinc opera , & solertia servorum pauperum Societas nunc Somaschenis Congregatio nuncupata , eo tempore instaurata reforuit : Vitæ probitate , & rerum gestarum gloria illustris circa meditullium XVI. Sæculi ad Cœlum lætanter evasit . Santinell. in Vit. Hieron. Æmil. Cap. 21.

**D**ELLA-FABBRA ALMERICUS Ferrarensis ab anno 1689. die 3. Julii professus , dudum in variis Italiæ locis Ecclesiastes , in Almo Salutis Venetiarum Collegio Moralis Theologiae Præfectus , & Tridentini illius Celsissimi Episcopi , & Principis Consiliarius : Bergomi apopletico iictu ad Altare dum celebraret correptus anno 1743. die 2. Januarii mortem oppetiit . Editit Ferrariae 1730. Opus , cui titulus : *Adnotationes canonicae ad Compendium Privilegiorum Congregationis de Somasca* , item Venetiis alterum ; *Singularia Canonica ad Compendium* , &c. Reliquit etiam M. S. Opusc. Canonicum : *De Superioribus Regularibus* . *Elenchum Methodicum Theologiae Moralis* . *Conciones Quadragestmales* .

**D**ELIUS VICTORIUS Vicentinus nedum eruditio-  
nis verum , & præcipuae probitatis ornamenti  
decorus , sive operum assiduitate , sive devotio-  
nis studio defatigatus cubitum iret , ejus stratum ster-  
nebatur ex paleis , vel nudis tabulis , & ne quis labo-  
riosam , vel incommodam noctem conjiceret , summo  
mane lectum ipsum linteis , anaclinteriis , & iodice  
componebat : Ad exiguum dormiebat , sed noctu sur-  
gens flexis genibus Psalmos recitando corpus suum di-

ver-

61

verberabat in luelam culparum , quas minime ipse com-  
miserat ; ab esu carnium totam vitam abstinuit , ter in  
septimana solo pane , & aqua contentus . Asperima  
frigidiorique tempestate dum inter Insubres immorare-  
tur , semper sine tibiis , solis calceis incessit , Præter  
eam , quæ apud Nos usui est , tres alias horas in ora-  
tione singulis diebus traduxit , in qua modo gemens ,  
modo sollicitus , modo sublatus visus est . Ferias autu-  
mnales in Eremo Somaschæ transigebat , ubi fere to-  
tam noctem , diemque catenatis ciliciis circumligatus im-  
pendit in precibus , & pœnitentiis ; quæ tot & tantæ  
fuere , ut ad ultimum languorem ipsum induixerint .  
Super Dæmones multum valuit , & ab obsessa muliere  
dum Papiæ detinebatur , vix visus ejecit . Salodii cor-  
poris maceratione potius , quam morbo victus ætatis  
suæ 33. die 27. Octobris 1624. in Academia Sancti Be-  
nediti occubuit die , & hora transitus sui a se multo  
ante Confessarlo suo manifestatis . Ex Act. Colleg. Vi-  
cent. pag. 101. , & Archiv. Sancti Petri in Monfort. Me-  
diolani .

**D**E-MARCHIS MARCUSANTONIUS Vicentinus  
magni nominis Vir ob rerum gestarum magni-  
tudinem , & virtutum insignia documenta ; Ze-  
lo Eliæ clarus , qua hortationibus , qua exemplis per-  
fectioris vitæ in unoquoque rationem ardebat , & vita  
si qua detegeret , aut pravas voluntates , evellere sata-  
gebat . Moribus severissimis secum , humanissimis cum  
aliis agebat , proximi fragilitatem excusatus , & benigne  
perpeccus , Fratris in errata exardescens , & plane desæ-  
viens , errantem tamen lenissime excipiens , & suavissi-  
me objurgans . Collegium Vicentinum Sanctorum Phi-  
lippi ,

Lippi , & Jacobi a fundamētis erexit , & pluribus emō-  
lumentis adauxit . Ab Aet. ejusdem Collegii .

**D**E-MARI FRANCISCUS CAMILLUS Genuensis exemplari regularis disciplinæ obſervantia , ſacra eloquentia ſpectabilis æque , ac generis nobilitate , a primis annis , Majorum exemplis , & præfertim Patrui , quem virtus ad Januensis Reipublicæ ſupremum gradum evexit , ad grandia provocatus , animum ſuum singularib⁹ promeritis , illuſtribusque virtutibus ornat⁹ . Cum in Theologiae Cathedris , & in Suggestibus Ecclesiasticis laudem clarissimā effet adeptus ab ALEXANDRO VII. Ecclesiæ Nebbiensi Epifcopus præficitur die 23. Junii 1664. paſturus verbo , recturus exemplo , utpote potens opere , & ſermone . Obiit mense Julio 1671. Ugbell. Ital. Sacr.

**D**E-NIGRO HIERONYMUS Januensis , Filius Patrem ſuum Philippum imitatus , qui Oratori Congregationem ingressus erat , ſpiritu Dei actus Congregationem Nostram anno 1633. ingreditur , in qua Divinis , Humanisque Scripturis instructus , Declinator Apostolicus evasit , finemque vivendi fecit ſexaginta annos natus , anno a reparata ſalute 1660. Scriptis evulgavit Finarii italico ſermone de anno 1650. Mitem Gallicum reducem in Provinciam . Orationem habitam in Anniversario Concordiae , Genuæ 1644. Orationem aliam dictam in Conventu Papiensi , Ticini Regii 1651. Item Orationem Panegyricam in die Præſentationis Beatae Virginis in Ecclesia Vinearum , Genuæ 1651. necnon ibidem 1638. Elogium in laudem Johannis Baptiste Alberti C. R. S. ut referunt Sopranis , & Justinian in Syllab. Ligast.

DE-

**D**E-PARENTIBUS OTHO Cremonensis Ecclesie Parochialis SS. Geroldi , & Vitalis proprius Sa- cerdos , cuius conſtantis pietas nunquam in pau- peres defuit ; anno 1558. Societati *Servorum pauperum* quo nomine per id tempus , Congregatio noſtra Somas- chensis vocabatur , adſcribi voluit , & mirum in mo- dum Cremonæ in colligendis , juvandis , educandisque pauperibus , Orphanisque ad præſcriptum Beati HIERONYMI MILANI Institutoris noſtri Orphanorum , atque pauperum Parentis incubuit . Cum autem dicti paupe- res , & Orphani ibidem nec Domum , nec Eccleſiam haberent , ab anno 1561. die 20. Maii prædictam Ec- cleſiam , Aedes , prouentus in utilitatē eorum , & commodum annuente Epifcopo Cardinali Cesio cefſit , ut ex Literis Curiæ Epifcopalis ſub die 23. Julii ejusdem anni , Porro Congregatione noſtra Somaschenſi in Al- bum approbatarum Religionum de anno 1568. a Sancto PIO V. relata , noluit quidem Vir pientissimus Votis noſtris obſtrigi , ſed eximium caritatis Institutum con- ſtanter professus eſt , & diligentissime ſervavit , una- nobis cum quoad vixit qua ſpiritualiter , qua tempora- liter Orphanis opitulando . Inter tot , & quidem am- pliſſimæ pietatis radios clarissimus ad lucem perpetuam tranſiit vergente ad metam ſexto decimo ſeculo . Vid. Tabul. Cremonen. , & Aet. Coll. D. Geroldi ,

**D**E-RUBEIS CONSTANTINUS Salaminius in Cypro , ab ineunte ætate Congregationem in- gressus per omnes laborum gradus ad cumula- tissimam ſcientiam evasit . Apoftolico ſpiritu conciona- tus eſt confecto plures magni Jejunii curſicuло . Ante- quam Mediolani contagium ſode debaccharetur , quod ſequen-

sequenti proxime anno dire cruduit , ibi Ecclesiastem egit tanto plausu , & rumore ut Cardinalis Archiepiscopus Fridericus Borromaeus tanta voluptate , & jucunditate eum audiverit , ut nunquam ipso eruditiorum , atque eloquentiorem se audivisse fassus sit apertissime . Ejus fama vagante URBANUS VIII. Zacynthi , & Cephaloniae Episcopum creat . 1634. , & post quinquennium ad pinguiorem Vellensem Ecclesiam transfert . Edidit varias italicas Dictiones : *La Collana d'oro* . Panegyrim in die solemnii Concordiae Genuæ 1624. *La Rosa* . Orationem in die festo Beatæ Virginis de Rosa Maceratae 1634. *La Viola inviolata* in laudem Beati Caroli Borromaei Mediolani 1622. *Il Fermamento della Fermezza* pro Sancta Firmina V. & M. Ameriae Advocata , item Mediolani de anno 1630. italicice scriptam . : *La Vita del B. GIROLAMO MLANI Fondatore de' C.R.S.* necnon latino-metricum Volumen Poeticarum lucubracionum Teste Crescent . in Presid . Rom . Lib . c.

**D**E-RUBEIS JOHANNES BAPTISTA Genuensis Humanarum , Divinarumque rerum , sive sapientiae studiis addictus , & deditus incomparabilis ingenii , & eruditionis laudem ubique gentium asecutus est . In lucem protulit Opus *De Divinis Officiis* Placentia 1608. *Commentaria , & quæstiones in universam Aristotelis Metaphysicam* , Venetiis 1618. *Commentarium in Psalterium Romanum dispositum per hebdomadam ad formam Breviarii Romani PII V. Pontificis Maximi* ibidem 1627. *Novum Rationale Divinorum Officiorum juxta Breviarii , Missalis , & Ceremonialis Romani recognitam editionem* ibidem 1625. necnon evulgavit vulgari sermone *Compendium Logicae secundum ordinem , & organum Aristotelis*

telis anno 1618. ibidem , ubi & *Meditationes de Passione , Morte , & Sepultura Christi* . Itidem : *Regulas , & Discursus spirituales pro Monialibus* , quibus adjecti sunt ejus tres Tractatuli : *De Confessione , de Indulgentiis , & de Jubilao* ibidem 1629. quo obiit Mediolani in Orphanotrophio Divi Martini annorum gravis . *Oldoin. de eo , Soprani , & Justinian. in Syllabis* .

**D**ONATUS FELIX Veronensis Professus Noster ab anno 1655. die 30. Martii ex ornatissimo dendi genere , & cultu , Venetæ Eloquentiæ Pater , sub adriatico Cœlo plurimos vertentibus annis Oratores peperit . Senatus-Consulto publico in Divi Marci Athenæo Orator , nechon in Ducali Serenissimi Principis Cancelleria Lector designatus ab anno 1665. longos dies nedum Venetæ , verumetiam toti Literatorum Reipublicæ oratorio sudore inservivit : Non pauca ejus *Prolusionum* , & *Orationum* habentur *Opuscula* meritis laudibus edita Venetiis ex Bibliotheca volante ibid. cusa . Obiit XVII. Saeculo moriente inter lacrymas , & plausus justis exequiarum persolutis .

## E

**E**USEBIUS FRANCISCUS ANDREAS Scientiarum flos Pedemontio evulsus , Romæ fatus viruit , in Scholasticis , Canonicis , & Morali-Dogmaticis doctrinis , sed & Romæ aruit truncatus lethali falce : De ejus mentis dignitate nil quidpiam ad nos plane , quam suarum fama virtutum derivavit . Inter doctiores nostræ Congregationis Professores adnumeratus est ab I Al-

Alberti Congregationis Fulienensis in Suspellenſi Athenaeo ,  
quod insertum legitur in ejus Historia Suspellenſi Tau-  
rini cusa anno 1728.

# F

**F**AA' PAULUS Monferratensis eximium *literaræ*  
Republicæ ornementum , & decus ; Vir fuit in  
Divinis , Humanis , Politicisque Scientiis versati-  
fissimus , sacris itidem in declamationibus , poeticisque  
lucubrationibus celeberrimus ; prope incredibili erudi-  
tione præclarus omnium Literatorum desiderium su-  
peravit . Venetiis Patriorum , Procerum , Patrumque  
conscriptorum , Serenissimæ Curiæ frequentia obsideba-  
tur ad consilia ſepiffime , nullaque ejus unquam in Se-  
natū , quam explicuerat infirmata Sententia : Ibidem  
Patriarchæ Johannis Francisci Mauroceni Examiner ,  
& a Consiliis , apud quem gratiosissimus . Ipsum tri-  
bus antequam moreretur diebus prædictis Antistes in-  
visit , habita cum eo ad horam mutua de salutis æter-  
næ argumentis sermocinatione , ea quippe pietate ex-  
celluit , ut vel moriendo meliorum Charismatum Aemul-  
lator faciens , & docens in ipso languentis vitæ confinio  
non sine adstantium lacrymis , & admiratione dies suos  
clauserit an: 1672. die 10. Auguſti in Collegio Nostro  
Murani Venetiarum , relictis poſt ſe ſanctitatis ſuæ , &  
literaturæ monumentis . In prima parte Operum Patris  
Johannis Francisci Prioli dum typis mandaret B. Virgi-  
nis Matris Dei exornationes ex Dominicarum Evange-  
liis contextas legitur ejus Ode Patavii impressa an: 1666.

FA-

+ fructu ab Senato Romano , Diocesi di Viterbo

**F**ABRESCUS JOHANNES BAPTISTA Barbaranus +  
Romanus Cardinalis Nicolai Sfondrati amicissimus ,  
qui dum Petri Sedem ascendit eum pluribus Pa-  
palis benevolentiae signis , & argumentis honestavit ,  
cum omnibus virtutum pietatis , prudentiæ , & sapien-  
tiae laudibus clarum conſtanter novifet ; Praepositus Ge-  
neralis de anno 1587. a rebus præclare gestis non vul-  
garem ſibi vindicavit recordationem . Cremonæ ad pro-  
movendam Sodalitatem Beatæ Ursulae Moderator totus  
fuit . Sexagenarius Romæ mortuus eft die 17. Februa-  
rii 1616. eadem plane die , qua natus eft , ut ejusdem  
laus eſſet diei præclarissimum hominem Terris edidiffe  
& Cœlo . Ex Archiv. Monfort. Mediol.

12. **F**ERRARIUS AMBROSIUS Cremonensis inter Ve-  
nerabiliores ſua ætate Viros ſpectatissimus , ejus  
fama , & virtutum celebritas apud Helvetios ,  
& præcipue apud Luganenses nunquam intertritura in-  
dies viruit , ita quod ſolemne iſpis fuerit , quem Vi-  
rum egregium ſignificaturis ei Ambrosii Ferrarii inde-  
re nuncupationem . Primus Praepositus Lugani fuit in  
Fundatione Collegii an: 1608. Lugano Tridentum mi-  
ſus ~~ſed~~ anno 1631. Praepoſiti ibidem regimen , &  
titulum administravit in illo Seminario nobis ex mu-  
nificentia Cardinalis Caroli Madrutii Episcopi confeſſum  
anno 1618. die 27. Octobris , ibique literarum ſacrarum  
peritissimus Etherodoxis bellum indixit , clericalem il-  
lam juventutem nobis concretitam in ſcientiis informa-  
vit , & exemplis integerrimis instauravit . In æternum  
victurus fato ceſſit anno 1638. ejusque corpus , lacry-  
mis , oſculis , & plauſuum obſidione impetum . Ex  
Act. Colleg. Trident.

I 2

FER-

**F**ERRARIUS PETRUS Mediolanensis excellæ virtutis , & omnigenæ eruditionis Professor , cum Tridenti Episcopus , & Princeps Cardinalis Ludovicus Madruti<sup>s</sup> circa annum 1578. Seminarium pro Clericis Dioceseos suæ instituisset , & Virum consilio prudentem , doctrina præstantem , & morum probitate venerandum quereret pro Clero literis , & pietate informando Petrus Ferrarius ab Evangelista Dorato tunc temporis Generali Præposito datus est anno 1594. , qui vix admissus , & receptus Episcopi Tridentini , & universæ Civitatis benevolentiam , & commendationem sibi , & Nostris acquisivit . Sive oratorie , sive poetice in Academiis diceret , modo Græcis , modo Latinis litteris lucubrationes suas concinnabat . In scholasticis concertationibus græca Proludia argumentationibus præcinebat ; & tam profunde , & tam subtiliter concertabat ut omnibus admirationi esset , & Cardinalis sub cuius auspiciis aut oppugnabat , aut propugnabat exclamaret frequentissime : *O Virum egregium ! O Virum sapientem , quem ad Seminarii Nostræ Institutionem nati sumus . Anno 1600.* paulo secus mortalitatem exuit quam citissime , ejusque cadaver universo Tridentinæ Civitatis Clero associante ad Cathedram Ecclesiam , Eminentissimo Episcopo mandante delatum fuit , & solemni funere humatum . *Ex Lib. Defunct. Eccl. Cathedr. , & Relat. in Tabul. Monfort. Mediol. afferu.*

**F**ERRERIUS GUIDO Vercellensis dictus , cum Beati HIERONYMI ÆMILIANI Patris Nostræ sanctitas , & pietas mira in pauperes , Orphanosque per Insubriam , totamque Italiam peregrinaretur ; undequaque coruscans , & strepens , honesto hoc rume

more ductus , & virtute induitus ab alto , Sodalitio ejus adscriptus est , & in Instituto suscep<sup>t</sup>to nimirum in colligendis , educandisque pauperibus invigilavit . Humanis , Canonicis , Legalibusque doctrinis instructus , nec non morum probitate suffultus , ad Episcopatum , & Cardinalatum ascendit . Annuente PIO IV. Vercellorum Episcopus eligitur anno 1562. , ac eodem Pontifice creante Cardinalis titulo Sanctæ Euphemiae pronunciatur anno 1565. Congregationis suæ Patres an: 1569. in Collegio Divæ Magdalæ pro Orphanis instituendis Vercellas vocavit , ibidemque PP. Jesuitis Aedes , Ecclesiam redditusque Scholarum gravamine concessit , bullata superinde obtenta Pontificis constitutione : Hic in nostram Congregationem primus Infulas Episcopales , & Purpuram Cardinalitiam invexit . *Faciendo , & docendo* in diebus suis placuit Deo , & dum Romæ esset e vivis abiit anno 1585. , & sepultus est in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris . Scriptit Librum : *De Episcopis Vercellensis* Teste Biscareto in suo Opere : *De Palmatis Carmeli* ; item collegit *Summarium Decretorum Conciliarium* , & *Diœcesanorum* , & nonnullarum Papalium Constitutionum ad usum suæ Diœcesis . Ughell. , Cusan. , & Somasca Graduata pag. 23.

**F**ERRETTUS PETRUS Vicentinus inter Oratores celeberrimus , sive academico ritu Rhetor in Scholis , sive evangelico Ecclesiastes in Templis diceret . Decem & viginti Jejunia Quadragesimalia fastis dictionibus emensus est , iisque revolventibus Bononiæ ter in Basilica Sancti Petronii , Genuæ semel in Basilica Sanctæ Mariæ Vinearum , & postremo Viennæ Austriæ Cæfareo in Suggeſtu summo nomine est conciona-

Vide

Pag. 206

Cionatus . Vir plane ad Eloquentiam natus . In Congregatione variis fuit muneribus implicitus , in Seminariis Venetiarum quandoque Rector , semel atque iterum Provinciæ Venetæ Præses , & Moderator , in Definitoriis pluries *unus ex duodecim* . Locupletem fama , & meritissimam animam e corpore emisit summa ætate anno 1737. mense Septembbris . Ejus M. SS. *Conciones* , *Orationes* ; & id genus alia habentur in Collegio Vicentino , ubi supremum diem clausit .

**F**INOTTI CHRISTOPHORUS Venetus , Theologus , & Poeta clarissimus , floruit tempore CLEMENTIS VIII. cui gratissimus . Venetiis Excellentissimi Senatus Decreto designatus est Orator publicus , & sub Adriatico Cœlo , & Romano ejus Eloquentiae fulgor undeaque irradiavit . Venetiis anno 1606. edidit : *Orationes* ; *Emblemata cum notis Corsonii* . *Heroica Carmina de Deo* , & *Divis* . *Elegeias sacras* , & *varias* . *Anagrammata* , & *Enigmata sacra* , & *varia* . *Odas non unius generis Carminum* . Obiit in Patria anno 1627.

**F**LISCUS HIERONYMUS Cremonensis Poeeos latinæ cultor perspicuus multa congescit Carmina , quorum aliqua leguntur in Operibus Pantaleonis Panvinii . Fuit quidem excellentissimus Vates , sed non sine aliarum facultatum ornamentis ; Vir famigerate doctus laudatur a Patre Anastasio a Sancto Carolo Augustiniano Nudipede in suis Tract. *De Annulis* , qui servantur in Biblioth. Sancti Damiani Mediolani . *Arisi de eo meminit in 3. Tom. Crem. literatæ.*

**F**ORESTI JOHANNES MARIA Venetii in Sanctissimæ Virginis de Salute Gymnasio Rheticorum Interpres , in Seminario Ducali Philosophiae Rector , in Collegio Forojuliensi Rector , Vir æque prudens , ac doctus : Orator , Sophus plura scripsit : *Orationem Funebrem* in Parentibus Sereniss. Principis Aloysii Contareni , quam habuit coram Augustissimo Senatu , Venetiis 1684. *Epitalarium* in Nuptiis Excellentissimi Philippi Nani , & Andrianæ Fini , ibidem 1701. Edidit etiam anno 1672. Librum , cui titulus : *Triplex Mundus Philosophicus* , *Sublunaris* , *Cœlestis* , & *Supercœlestis* , indefatigatam vitam absolvit an: Domini 1707. \*

**F**ORNASARIUS JOHANNES BAPTISTA Lauden sis in Universitate Ticinensi Decanus , Jurisutrius que prudentiam in Sæculo , religiosas virtutes in Claustro professus est . Omnia oculis , omnium mentibus promeritorum suorum injecta luce summum Praepositi Generalis gradum obtinuit anno 1596. qui alias pluribus præfuerat Collegiis , & Venetiarum Seminariis ; ea virtutis suæ , & morum fama vagabatur , ut quidquid in bonum suæ Religionis peteret , concederetur , quidquid expeteret assequeretur . Ecclesia Pastoralis Sanctæ Mariae Secretæ Mediolani plurium accessione Gratiarum , & Privilegiorum fuit per ipsum Congregacioni quæsita ; facundia maximus coram Serenissimo Venetorum Principe , & Senatu peroravit , & singulari benedicendi arte , eloquentissimoque conatu , devictis obversantibus moris factum est , ut nobis duo loca Tarvisii ex Senatus-Consulto concederentur . Papiæ Sancti Majoli Ecclesiam funditus excitavit , Romæ ob ejus eloquentiæ , & virtutum præxiæ notissimus , Purpurato-

\* Item. *Patientia triumphalis*, hoc est, *M. Antonij Delphini Panegyricus*. Venetijs 1669. Ex Typograph. Pinelliana.

rum Cœtui in amoribus fuit , immo CLEM. VIII. ad præclaram ejus virtutis , & meritorum significationem cum ipsum alloqueretur , Patris Reverendissimi titulo usus est . Ex Archiv. Monfort. Mediol. Divi Petri .

**F**ORTI ANTONIUS FRANCISCUS Mediolanensis ex merito virtutis , & pietatis Vicarius Generalis : Dudum ad 40. circiter annos in Collegio Clementino de Urbe politiorum literarum , cæterarumque scholasticarum facultatum Magister , e penu eruditonis suæ singulares fructus in studiosos effudit sollers , & hilarus Dator . In Congregatione *Indicis* Consultor , ex consilio , & sensu suo apud Romanos Proceres plurimi habitus . Senex Romæ obiit 1702. ejusque *Lucubrationum* fascis in Clementino Collegio affervatur , de iis , & meminit *Biblioth. volan. Venetiis impressa* .

**F**OSSA PARISMARIA Gentensis regularem emisit Professionem anno 1668. 17. Septembris in universa Italia ob Quadragesimales Conciones , & Panegyricos Sermones suo ævo per celebris : In Poesi valde eruditus inter Arcades Coloniæ Ligusticæ adscribitur . In Sancta Inquisitione Genuensi Consultor , in Concistorio Archiepiscopali Synodalis Examinator : Obiit in Patria ætatis annorum 65. currente anno 19. supra millesimum septingentesimum . Edidit Orationem in laudem Divæ Marthæ , cui titulus : *La Gran Maestra Vangelica* , necnon *Theologicam Dissertationem* prænotatam : *Consultatio super casum : De Aperienda Confessione &c.* , Genuæ 1689.

FRAN-

**F**RANCHETTI FRANCISCUS Bergomas natus an: 1597. cum adolescens in Collegio Clementino de Urbe , ad Carmelitas exalceatos , aut ad Capucinorum Institutum alias amplectendum propenderet , ex improviso , & ferme non sine Divini Numinis affectu Congregationem nostram ingreditur , in qua adeo spiritu profecit , ut omnium virtutum exercitamentis evaserit ornatissimus : Inter cæteras admirabilis fuit illa intemeratae virginitatis dos , & prærogativa , quam nullo quidem , ut traditum est , phantasmatæ impunitatis labefactavit , ita quod nonnulli , vel ab incunablis ejus lumbos fuisse perstrictos , ut de Sancto Thoma , aut nullis subfuisse Legibus concupiscentia , ut de D. Bonaventura autumavit Alexander De-Ales , fuerint suspiciati . Adeo cujusvis generis culpas perfecto odio oderat , ut in peccantes sanctissimus Juvenis apostolico ardore insurgeret , & sancte invercundus irrueret : Uno verbo ejus vitæ ratio cuique norma pietatis fuit , & disciplina virtutum . Habuit in spiritualibus Magistrum Franciscum Pocopani Brixensem Virum doctrina , & pietate summum , dum de anno 1613. scholasticas facultates in Collegio Clementino prælegeret . Ex Archiv. Rom. , Santinell. in ejus vita .

**F**ROSCONIUS AUGUSTINUS Mediolanensis devotissimæ vitæ custos ab anno 1587. die 18. Maii usque ad annum 1637. mense Decembri , quo ultimum diem clausit inter Nos , doctrinarum ornamenti cum perfectionis religiosæ latide conjunxit : Ex sanctissima ejus vitæ ratione , ac amplissima eruditione Episcopus De-Georgeis ejus curæ , & institutioni Seminarium suum demandavit Brixiae , & Salodii Academia San-

K

Sancti Benedicti suo tempore literis , & studio floruit . Venetiis ex morum suavitate , animique generositate cunctis charissimus inter Cives Venetos adscriptus est . Procuratoris Generalis , Visitatoris , & summi Præpositi honorificis gradibus fuit ornatus . Zelo zelatus pro Deo , cum in maleagentes excandesceret , eosque odisset , ipsum de rebus pessimis criminati sunt , et si non sero integerrimi Sacerdotis innocentiam ultus sit Deus . A Fœmina forte inducta insimulatur ut reus flagitii , ipse religiose , & patienter calumniam passus , nec se defendit , porro Fœmina a Dæmone statim , & dire vexata , & obfessa , immo ad vitæ extremum ex truculenta tractatione redacta , publice iniquam criminationem fassa , & veniam precata , ab indecoro rumore Augustinum vindicavit , qui ne pœnis falsiorum scelestæ plecteretur , deprecatus est . Venetiis in Domo Sanctissimæ Trinitatis anno 1637. mortem obivit summo omnium mœrore , & quem diligebant universi , universi lacrymati sunt . Edidit : *Orationem Parænethicam de Perseverantia* , Brixiae 1606. *Archiv. Monfort. Mediol.* , *Somasca Graduata pag. 37.*

Vide  
ag. 172.

**F**RUGONUS CAROLUS INNOCENTIUS Jannensis , proverbio ; *Oratores fieri , Poetas nasci fidem , & auctoritatem auxit , vel a teneris , ut ita dicam , unguiculis Vates celeberrimus totam fere Insubriam Carminibus suis implevit . Quocumque Thematæ proposito , vel extemporalis cecinit ; nec minori laude Oratoriæ professus est elocutionem , Genuæ enim in nostra Ecclesia ascensus Suggestum multo nomine eloqui auditus est . A Serenissimo Duce Parmensi Antonio Farnesio insignibus Historici sui , & Poetæ titu-*

lis

lis ornatus est , multa sparsim edidit in Miscellaneis , sed Parmæ de anno 1728. Librum prænotatum : *Poesie per le acclamatissime Nozze delle Altezze Serenissime il Sereniss. Antonio Farnese Duca di Parma ec. , e Serenissima Principessa Enrichetta d'Este Duchessa Regnante* ; item Bononiæ 1724. *Tragediam laudatissimam nempe : Radamisto , e Zenobia ex Gallica in Italicam Poesim traductam* , postremo itidem Parmæ 1734. evulgavit aliud Opus , cui titulus : *Rime di Carlo Frugoni pubblicate sotto gli auspicij della S. R. C. M. di Elisabetta Farnese Regina delle Spagne* . Vir toti Italiae notus ob suam in utraque Poesi excellentiam , dudum inter Arcades Pastor : *Comante Eginetico* . In Collegio Clementino Eloquentiæ Professor , in Academia Bononiensi vulgo *del Porto Rhetororum Interpres* .

# G

**G**ALLIANUS HIERONYMUS Ticinensis vetustissimam , & tunc florentissimam *Affidatorum* Academiam eruditis suis lucubrationibus ornavit . Mediolani , & Papiæ Philosophicam , & Theologicam facultates interpretatus est . Sacrae Scripturæ , Theologiae Dogmaticæ , & SS. Patrum studio provectioni ætate singulariter addictus , ad Helvetios , cum illic Hæreses ultra pomerii sui fines excurrenter , missus , egredia pietatis , & positivæ doctrinæ edidit experimenta , adeo præclaro Fidei triumpho , ut Roma testimonialibus literis eum acerrimum Religionis orthodoxæ Protagmatorem , & Vindicem fuerit testata luculenter . Quadragesinta & ultra annos in Papiensi Sancto Officio consul-

fultor adlaboravit : Ter Præpositus Generalis in Congregatione facem prudentiae , & caritatis omnibus præfuit potens opere , & sermone . Collegium Papiense , cuius splendidus Instaurator , & Præpositus plures , nedium recentibus Ædificiis , & Emolumentis , verum & aurea morum honestate ditavit . Obiit in Patria septuagenario major 1687. sepultusque est honorifice in Divi Majoli . Extant impressæ , quantum scio , duæ ejus Italæ Orationes Panegyricæ ; altera ad Celsissimum , ac Serenissimum Ferdinandum Austriacum Cardinalem Infantem Hispaniarum , & Toleti Archiepiscopum , cui titulus : *L'Allegrezza verace* , Papiæ 1633. Altera in laudem Divi Caroli Boromæi sub lemmate : *La Solitudine* . Mediolani 1649.

**G**ALLUS AUGUSTINUS Brixensis splendore , & eruditione literarum nobilis posthabitis humanæ vitæ commodis , & nuncio libertati missò , Christi paupertatis incommodis , asperrimaque vitæ laboribus assumptis , se totum Venerabili nostro HIERONYMO informandum commisit : Ejus familiæ ascriptus orationibus , poenitentiis , corporis , & voluntatis mortificationi jugiter vacavit : Tandem meritorum , & annorum plenus , haud dubiam posteris salutis suæ fidem reliquit . Edidit vulgari sermone conscriptos *Georgicorum Libros* , ac de voluptatibus ruris , Venetiis 1572. & qui de Agricultura scripsit , animi culturam non omisit . *Santinell. in Vita Hieron. Emil.*

**G**AMBARA ANDREAS Veronensis Vota nuncupat anno 1659. In Congregatione nedium Theologum egit , verum & Concionatorem : Ejus erudi-

eruditionis splendor , & dignitas omnes perstrinxit . Aetatis suæ 62. Domini vero 1704. Venetiis extremam diem clausit . Evulgavit italice Mediolani 1676. Orationem in Canonizatione Divi Philippi Benitii , cuius lemma : *Il Processo* ; item Venetiis 1688. Opus prænotatum . *Stile d'oggidi* , ovvero *Disinganno dell'Elorenza* . Ejus M. SS. asserv. in Bibliotheca Salutis sunt : *Parafrase della Rettorica di Aristotele* . *Parafrase della Etica , e della Politica del medesimo* . *Varie osservazioni sopra gli Storici antichi , e particolarmente sopra Cornelio Tacito , e Livio* . Vol. 3. *Varie Orazioni , Declamazioni , Tragedie tam latinis , quam italis literis exaratæ* .

**G**AMBARANA ANGELUS MARCUS ex Comitiis Montis Sicalii Papiensis natus circa annum 1498. magis , magisque in dies documentis pietatis , & liberalium disciplinarum cultu institutus : Papiæ ejus Patria haud quicquam prorsus fuit cum eo conferendus , tum civili prudentia , tum literarum cognitione , ut proinde clarissimum Ticinensis Urbis lumen ferretur universim . Solemne ipsi fuit quotidie e Codice horario statam diei Psalmodiam in genua provoluto orare , diutius orationi vacare , sacram rem singulis diebus peragere , quod & supremo vitæ suæ licuit . Super paleas saepissime dormire , cilicio frequentissime uti , pluries qualibet hebdomada jejunare , insomnesducere noctes frequenter . Episcopali Ticinensis Ecclesiæ charactere a PIO V. noluit insigniri , immo abdicata . Generalatus Dignitate ex mala valetudine anno 1571. scientia Dei plenus , vita sincerus religione conspicuus , dum oraret , ecstaticus occubuit Mediolani 1573. scripsit : *Vitam Beati HIERONYMI AEMILLANI* ; *Vitam B.* Vide pag. 172.  
*Fili.*

*Filiistinæ Virg., & Mart.; Dialogum in laudem B. V. M.  
De eo Boss. ubi de Sancto Majolo. Romual. in sua Flavia  
Papia Sacra. Mazzucchell. in ejus Vita, quæ M. S. asser-  
vatur in Archiv. Monfort. Sancti Petri Mediolani, Somas-  
ca Graduata pag. 12.*

**G**AMBARANA ANGELUS MARCUS superioris Nepos fulgentissimum, & ipse Papiensis Coeli Sydus, Congregationis inclytum ex pietate, & doctrinis ornamentum. Supra fidem doctus, & supra ætatem, triginta circiter annos natus jam singulis Sabbatis in Ecclesia Cathedrali Cremonæ Sermones de B. V. habuerat, & quater per diversa loca Ecclesiastem egerat in Quadragesimis; majora in dies acturus ni in prædicta ætate tam celeriter obiisset anno 1623. die 11. Augusti. *Ab Aet. Colleg. Cremon.*

Vide  
pag. 173.

**G**AMBARANA VINCENTIUS Papiensis ex Comitibus Gambaranæ, cuius pietas nunquam in pauperes elanguit, vel diminuta, vel intercepta; secutus Venerab. *HIERONYMUM MIANUM* Patrem, & Institutorem, Filius, & Alumnus, in caritatis erga Orphanos, Orphanasque officiis perpetuo, & mirabiliter floruit Bergomi. Vivens æque, ac mortuus miraculis a Deo illustratus est, ejus obitu spontaneo eo loci Campanarum sonitu evulgato, in quo mortalitatis exuvias deposuerat an: 1561. mense Julio. *Vid. Somasca Graduata pag. 111., Constant. Rubeum in Vit. Hieronymi Aemiliani.*

**G**ARDONUS JOHANNES PETRUS Salodiensis labente XVI. Saeculo natus, in Congregatione

omnibus

**G**AVATIUS JO. FRANC. Vide pag. 173.

omnibus virtutibus, præcipue tamen humilitate, & poenitentia floruit admirabilis: In proximum misericors ad prodigium; contra se catenatis flagellis, & ciliciis crudelissimus ad languorem: Modo humi, modo super paleas cubabat, diesque identidem totas jejonus, & orans trahebat, corpus rebellans castigando, & in servitatem redigendo. Assiduus in Confessionibus excipiens poenitentes exemplis, piis operibus ad sanctitatem componebat, & in se aliena peccata sæpissime flagellabat. Annorum 50. Mediolani in Collegio Sancti Petri sub anno 1625. die 18. Decembris mortalis vitæ cursum absolvit, qua die ter ipsi Beatissima Deipara ad solamen visibiliter apparuit, ut ejus animi, corporisque puritatem, nec non ejus æternæ salutis securitatem testaretur. *Vid. Adnot. in Archiv. Sancti Petri in Monforto Mediolani.*

**G**EROLDIS GEROLDUS Brixiensis Congregationi se addixit anno 1581. Vir sane religiosa gravitate, ac probitate conspicuus, Zelo Animarum fervens, & caritatis, pietatisque operibus deditus Juvenatii, Amalphi, & Placentiae in Ecclesia nostra Divi Stephani Doctrinæ Christianæ Ministerium, & Scholas instituit, summoque studio promovit: Nec eo contentus Vicos, Pagos, Urbesque circumibat, excurrebatque, ibique Pueros, & Puellas in Plateas convocatas rudimentis catholicis, juvantibus Sociis imbui curavit, priorque pro Concione informavit; unde communiter *Italiae Apostolus* appellatus. **P**AULUS V. ad cujus aures tanti Viri studium, & docendi solertia, & ardor pervenerat, ad se vocari jussit, & elogio præmisso, ut liberius cathechizando, atque moderandis ca-

tho-

tholicæ Fidei Scholis per Italiam totam posset vagari , ei facultatem fecit se jugo Religionis exsolvendi , quod recusavit , spondens quantum in Domino posset , se ubique , salva vocatione , in Vinea Domini laboratum . Ameriæ , Juvenatii , Amalphi , totaque in Sicania sanctissimis exemplis , piisque hortationibus , & acribus Declamationibus , Cives , & Populos ad Legis Divinæ observantiam induxit , itaut Civitates non Conventus Hominum , sed Angelorum Chori viderentur : Porro factum est , quod cum prædictarum Civitatum Magistratus , pro eo , suisque Sociis sustentandis , non nullos proventus *ex Maleficio* , sive *ex Foro criminali* deducendos , assignassent , frugi homines ubique redditii ex ejus sanctissimo magisterio , sterilitate sensim flagitorum inducta , non potuerit deinceps necessaria pro laborantibus subsidia recipere , nec Magistratus eis stata ex malefactis alimenta præstare , Civium , Populorumque optimam institutionem causati , ex quo ipse cum Sociis ad morum reformationem insudaverat . *Somasca Graduata* pag. 24. ad retributionis præmium pervenit anno 1618. ætatis suæ 57.

Vide  
ag. 174.  
et 201.

**G**IZZIUS JOHANNES BAPTISTA Neapolitanus noster ab anno 1666. die 26. Septembris Concianator suo ævo famigeratissimus , Panormi , Messanæ , Melitæ , Bononiæ , Genuæ , Neapoli , Mediolani , Viennæ Austriæ ad Cæsarem Leopoldum I. Senis , Venetiis , & alibi in primoribus Suggestis , & quater Romæ in Basilicis auditus est pro Concione eloqui . Vir in omni eruditione Sacra , Ecclesiastica , & Prophana versatissimus : Sacrae Congregationis Indicis Consultor : Cardinalis Antonii Pignatelli Archiepiscopi Neapolitani

Exa-

Examinator , & Theologus , Sanctorum Patrum , & Sacrae Scripturæ cultor studiofissimus ei nulla dies präteriit non operosa : Archiepiscopus Ragusij nominatus , maluit Religiosum esse , quam Praefulem , octoginta annos & octo natus finem vitæ complevit Neapoli an: 1720. ingeniique sui monumenta reliquit etrusco sermone : *Orationes Panegyricas* in duas partes distinctas INNOCENTIO XII. , & LEOPOLDO I. sacras , Romæ 1693. ; item *Conciones Quadragesimales* CLEMENTI XI. nuncupatas , Neapoli an: 1712. *Somasca Graduata mem. Histor.* pag. 86.

**G**ROFOGLIETTI PETRUS FRANCISCUS De Arquato Spinulorum Demarchia noster ab anno 1689. die 13. Martii , variis linguis Hispana , Gallica , Græca , & Hebraica insigniter instrutus , in Geographica eruditione apprime versatus , dum esset in Athenæo Clementino de Urbe Humanarum literarum primum , deinde Rheticæ facultatis didascalus , elegantissimas Exercitationes Academicas concinnavit , quas in magnis illius Archicollegii solemnitatibus summa cum laude , qua prosaice , qua metrice exprefcit : Genuæ devotus Monialium in spiritualibus Reector earum profectui pluries totus fuit : In Collegiata Divæ Magdalena Ecclesia *Dominicales sermones* habuit , & *Panegyricos* , quos ex hac vita decedens anno 1743. ætatis 71. ibidem reliquit in suæ eloquentiæ docisimum .

**G**UADAGNI CAROLUS Nolanus Juris Utriusque Doctor Militiæ nostræ nomen dedit anno 1631. in Collegio Genuensi , in Oratoriis , Philosophicis , & Theologicis exercitus , nedum literatum cul-

L

tu'

tū , sed & regularis disciplinæ zelo Congregationem totam illustravit . Anno 1649. Casertæ in Domo Sanctæ Mariæ de Monte Præpositus , Philippi Cajetani ejusdem Civitatis , & Cisternæ Reguli a consiliis fuit , ei- que summopere carus . Plura typis Neapolitanis com- misit ; nempe italis literis : *Stachilogia Quaresimale* 1650. necnon 1651. Tom. tres nempe : *Stachilogia Avventuale* , *Stachilogia Eucaristica* , *Stachilogia Domenicale* . Item *il Medico dell'Anima* . Latine scripta sunt , & evulgata anno 1660. *Stachilogia Virginalis* . *Variarum Orationum spiritualium Delectus* . *Venerabilis Laurentiæ Longæ Monialium Capuccinarum Fundatrix gesta selectiora* . Topp. in Biblioth. Neapolit.

**G**UAZZONUS AUGUSTINUS Laudensis disciplinas graviores in Galliis edocitus , Philosophicas , & Theologicas in italis Collegiis edocuit , inter pri- marios Congregationis Moderatores adnumeratus est , Vir eximie sapiens , & prudens , multarum linguarum ornamenti decorus , undique multo nomine collecto ex omnigena sua eruditione , Sancti Officii Cremonæ Con- sultor renunciatur . Monarchiæ Hispanæ acceptissimus dignus fuit , qui pro Rege Catholico contra Imperato- rem apud Mantuae Ducem Legatus , & Orator præsi- deret . Casali cum pro eodem Rege immoraretur labo- riosum munus morte explevit an: 1669. sedente Hieronymo Francisco Episcopo Mirolio , celebratis publico impendio funeribus , instituta de ejus laudibus Panegyri , & tanta Religiosorum , Procerum , Populique Concione , ut si Regi Hispano justa fuissent persoluta , major non potuisset haberi , ætatis suæ 63. iectu ap- pleti-

pletico obiit , & sepultus est in Cathedrali . *Somafas Graduata memor. Histor. pag. 61.*

## I

**I**NUREA FELIX MARIA Januensis Congregationis Philosophus , & Theologus primæ notæ . floruit Romæ anno 1649. , dicto anno Professor Philosophiæ primum , postea Sacrae Theologiæ in Collegio Cle- mentino , typis evulgavit : *Theorias ex prima parte summae Theologiæ Divi Thomæ excerptas* ; mox an: 1655. *Acroamaticæ Philosophiæ summarium Tripartitum* . *Ex Ol- doin. , Sopranis , & Justinian. in Syllabis* .

## J

**J**UGALI FRANCISCUS Patavinus dicendi majesta- te , gravitate , & dignitate nunquam satis laudan- dus , Suggestuum terror , & ornamentum . Vel ab adolescentia cum ingenio præstantissimo , cæterisque dotibus , quæ in Oratore perfecto reperiuntur , prædi- tus esset , in eloquentiam comparandam omne studium , instustriam , omnemque diligentiam convertit , & bre- vi temporis intervallo , eum se præstitit , ut in dicendi facultate paucos jam pares habuerit . Genuæ , Bononiæ , Venetiis , Savonæ , Mediolani , aliisque in Italiae Urbi- bus , sacri Oratoris munere viginti & ultra ad annos singulari Auditorum admiratione est perfunctus , quo- ties Suggesta concendit , toties inter Oratores meritisime præcelluit , in hoc uno tantum cunctis inferior , quod

quod et si maximis laudibus celebraretur, hæ nunquam, & nullibi ejus Eloquentiæ dignitatem, & meritum fuerint exæquatæ. Vicentie anno 1728. jura naturæ persolvit septuagenarius, ibidem relictis admirabilis suæ facundiæ Testibus.

**J**UGANINUS JOHANNES BAPTISTA Fossanensis in Pedemontio, Venetiis primum, mox Romæ in Cathedris Theologicis sacræ Doctrinæ operam navavit Professor laudatissimus; cumque in reliquis ferme disciplinis plurimum valeret, in Veneta Basilica Sanctæ Mariæ Salutis per integrum biennium sacras ad populum Conciones habuit, ut quisque facile intelligere potuerit, eum vel politioris, & robustioris Eloquentiæ meritis abundare: Taurini anno 1743. elegantissimam evulgavit Orationem de Patrocinio Divi Josephi, quam in Regali Ecclesia Monialium Carmelitarum Excalceatarum pronunciavit italis literis, nec absimiliter edidit Opus eruditissimum, cui titulus: *Introduzione allo studio de' Canoni Ecclesiastici*, Adornat prælo egregium Librum latine exaratum: *De Christianis Mysteriis, & Religione*, necnon alium in sacram Scripturam.

## L

**L**AGHI JOHANNES BAPTISTA Venetus post variis laudatissime exantlatos in Congregatione labores, Romæ substitut Theologiae, quam *de moribus* vocant Lector, ibidem docendo, & faciendo, talem se præsttit, ut de se nobili opinione collecta, dignus fuerit, qui a CLEMENTE XI. sub anno 1720.

Archie-

Archiepiscopalibus Infulis Spalatensis Archidiœcesis indueretur. In statione Episcopali decem annos mansit, eisque expletis effeta ætate cursum vitæ præsentis consumavit, fidem servavit, & coronam justitiae recepit. Scripsit ejus vitam Nicolaus Petricelli apud Calogera in Tom. 28. Opusc. scientific.

**L**EORNARDUCCIU GASPAR ex Provincia Veneta Vir scientia Dei plenus, sapiens, & plus in Collegiis Foro Iuliensi, & Romano, ubi Eloquentiæ quandoque Professor, ejus Academicæ Exercitationes non sine plausu, & Eruditorum adsenzione celebratæ sunt, sive italicæ, metricæ, & latinæ habarentur. Scripsit solutis versibus Canticum: *Della Provvidenza* Opus Venetiis editum anno 1739. cum eruditissimis annotationibus; item Opusculum italicum: *Del modo di ben comunicarsi, Apparecchi, e Ringraziamenti*, ibidem 1732. *Considerazioni Cristiane morali*, Patavii 1739. *Divozione da praticarsi in onore de' Santi Angioli Custodi*. Venetiis 1737.

Vide  
Pag. 174.  
Objet  
in Civitat  
Tauri July  
Apoplexia  
conceptu  
die 8 Ju  
1752  
act. an. 6

**L**IGNANI PETRUS Mediolanensis cum insumpsisset omnes fere vitæ suæ dies in instituenda juventute in Athenis nostris magno Congregacionis emolumento, in Metricis Artibus excellens, antequam moreretur, plurium, quæ id genus scripsit, specimen posteris tradidit in Opusculo Cremonæ edito anno 1681., cui titulus: *Erato Musa*, complura Emblemata suaviori dicendi stylo enuncians. Ætate gravis, & meritis cumulatus labente XVII. Sæculo Alexandriæ a Palea mortem obivit.

LIN.

**L**INGUELIA JOHANNES AUGUSTINUS Albin-  
ganensis Sæculum suum ingenii sui fœcunditate  
illustravit; sive historice scripsit, sive sacris e-  
rostris peroraverit, sive ad numerum cecinerit, Vir  
numeris omnibus absolutus. Plura Orbi Volumina,  
Auditoribus voluptatem, Lectoribus eruditionem, Con-  
gregationi summum decus, Eloquentiæ nova lumina,  
sibi immortalem gloriam comparavit: Ejus Opera edi-  
ta sunt sequentia italico sermone, & etrusco idiomate.

*Narrazioni intorno la vita, ed azioni della Beata Lu-  
grezia Cadamosti.* Mediolani 1640.

*Le notti diurne in lode di S.  
Carlo,* ibidem 1647.

*Panegirico di Plinio tradot-  
to.* Ven. 1659.

*Nabucco Trasformato,* ibi-  
dem 1651.

*Lagrime d' Israele ragiona-  
menti,* ibidem.

*Le sere dell'Adda,* ibidem  
1640.

*Vita di Santa Luitgarde.*  
Genuæ 1660.

*Vita di Santa Paola Roma-  
na,* ibidem.

*Guerre de' Genovesi contro Al-  
fonso Re di Aragona,* ibi-  
dem 1643.

*Orazioni sacre,* ibidem  
1649.

*Il Valore, e la Pietà Ora-  
zione nel Funerale di D.  
Carlo Doria Duca de' Tur-  
si,* ibidem 1651.

*La Fonte del Guiderdone,*  
ibidem 1648.

*Terme Emiliane,* ibidem  
1643.

*Prediche in Quaresima, Pre-  
diche in Avvento Tom. 2.*  
Genuæ 1671.

*Discorsi dal giorno festivo  
de' Santi sino alla festa  
degli Innocenti con una  
Novena per la Natività  
del Signore.* Ven. 1671.  
*Esercizj per le Domeniche di  
Quaresima.*  
*Il Roremondo, e l'Aldemiro.*

*Storia encomiastica della Ca-  
sa di Cardova.*

*Ritratti della Prospria, ed  
Eroi Monaci Tom. 2. Va-  
lentiae 1657.*

*La Staffetta privata,* ibi-  
dem 1656.

*Oda in lode di S. Antonio di*

*Padova,* ibidem 1659.  
*Discorsi per le Anime del Pur-  
gatorio;*  
*Discorsi per le Monache, cioè  
il Predicatore alle Grati.*  
*Selva di materie predicabili.*  
*Satire Meteore Tom. 1. Ge-  
nuæ 1671.*

Obiit Vir præclarissimus in Hispaniis anno 1669. Eun-  
que celebrant præter Collectores Scriptorum Ligurum  
omnes, qui ejus Sæculi Historiam tractant.

**L**ODI ALPHONSUS De-Trivilio, XVII. Sæculo  
labente Congregationem ingressus, supervenien-  
te oculorum omnimoda cæcitate inter Professos  
cooptari minime potuit, aggregari tamen simplicibus  
Votis concessum 1684., nec otiosus stetit: SS. Patres,  
Scripturæ Interpretes, Scribentium Commentarios sibi  
perlegi curans, munus concionandi suscepit, in eoque  
adeo polluit tum ex eruditione, tum ex aureo dicen-  
di genere, & cultu, ut prope incredibilern cum ad-  
miratione laudem fuerit consecutus: Venetiis, Medio-  
lani, Vercellis, Augustæ Taurinorum, Lugani, Fof-  
fani, Novariæ mirabiliter concionatus est. Mediolani,  
ubi diutius substitit eam existimationem sibi compara-  
verat, ut frequentissime Primores de Civitate ad eru-  
ditionem hauriendam, consiliaque captanda ad ipsum  
confluerent. Factus Hæres ex asse præmortui Fratris  
sui, Obiit & ipse Mediolani in nostro Orphanotrophio  
anno 1741. die 16. Octobris legavitque Collegiis Divæ  
Mariæ Secretæ, & Divi Petri in Monforto summag  
aureo-

**L**ODI CAROLUS. M<sup>a</sup>. Vide Pag. 184.

aureorum non modicam ex benevolentia in Religionem.  
Ejus M. SS. affervantur in ea pia Domo Sancti Martini. *Conciones in Quadragesima, & Sermones de Sanctis.*

**L**OMELLINUS NICOLAUS Genuensis Professus ab anno 1707. aliquot annis in Humaniorum literarum scholis exactis, cum esset summæ dexteritatis, egregiæ indolis, in Collegio Clementino Nobilibus illis Minister præficitur, quo laborioso in munere, omnium quibuscum agebat amorem nactus, a Cardinali Nicolao Maria Lercario tunc Status Papalis a Secretis de meliori nota apud Pontificem BENEDICTUM XIII. commendatur, & paulo post nempe anno 1729. ætatis suæ 33. Ovillis Faventini Pastor renuntiatur: Insulatus adeo gratiœ, & laudabiliter se gessit, ut inconsolabili, ac incomprehenso dolore eum acerbo fato sublatum anno 1742. mense Novembri deploaverint Oves suæ, queis perspecta merita, & perspicuæ Pastoris fuerant virtutes. *Somasca Graduata mem. Histor. pag. 104.*

Vide  
ag. 175.  
at 196.

**L**ONGUS LAURENTIUS Parmensis natus 1603. Liberalium Artium cursu perfecto publice Doctoris Laurea est decoratus an: 1625. in Congregatione omnibus propemodum scientiis fuit locupletatus, Linguarum Græcæ, necnon Etruscæ, Latinæ, Hebraicæ peritissimus. Magni illius Cardinalis Hieronymi Columnæ in Academia Complutensi exculti, & ab URBANO VIII. inter purpureos Patres cooptati, Theologus, & Familiaris: Vir ad omnia natus, ab omnibus rapitur currente XVII. Sæculo in Collegio Placentino Sancti

Sancti Stephani sexagenario major: *Eius Lucubrationes Metricæ sunt:*

*Ireneidos de Bello, & Pacæ Italæ Lib. XX.*

*Rupelleidos de recepta Rupella, & de triumphata Rebelle in Gallia a Ludovico Justo Francorum XIII. Rege Lib. XII.*

*Vesuviadōs, hoc est de incendio Vesuvii novissimo Lib. IX.*  
*Christiadōs Lib. IX., Aëtiadōs Lib. III. de origine, & egregiis factis Ducum Aëstensum.*

*Soteria Parthenopea, Veneta, & Laurentalia: In illa Templum Salutis Venetiis extructum, in hac Gestæ Mariæ Laurentiæ Longæ, necnon Familiae Longæ Heroes describuntur, & commendantur.*

*Amphiteatrum Poeticum, Latinum, & Etruscum.*

*Psalmodia Davidica thusca parapraſi, & poesi reddita.*

*Aphorismi salutares. Triumphus Catholice Religionis pro Sac. Reg. Majest. Christine Svecorum Reginæ. Placentiæ 1657.*

*Jerusalem Placentina etrusco sermone, ibid. 1659.*

Soluta Oratione scripsit Parmæ apud Vigna Dissertationem Ethico-Theologicam: *De Abstinentia, & Jejunio: Breviarium Morale: Theologie Moralis Compendium: Anthologiam Historicam: Virorum Illustrium Elogia: Supplementum Chronologicum: Armentarium Eucharisticum Opus Morale; item aliud Opus, cui titulus: Tabulæ salutares Theologie in duos Tom. discretum. Praelectiones Academicas. Orationes varias. Placent. 1652.*

*De obedientia in omni vitæ statu præstanta Lib. VIII.*

*Antidotarium Morale: Irdem, Spheram, & alia de quibus Crescentius in suo Præsidio Romano cuso Placent. anno 1648.*

**L**UGUS ANTONIUS MARIA Cremoriensis vix annis adolescentiae exactis cum Eloquentiae studio excelleret, in Collegium Clementinum de Urbe Rhetoricae Praeceptor mittitur, ubi munere Oratio honorifice fungens inter Arcades descriptus est, tum de utroque Poeseos genere benemeritus. Edidit Romæ: *Orationes plures in laudem Sanctissimæ Trinitatis in Pontificio Sacello trahitas*, item *Orationem Academicam, & Carmina in Assumptione BENEDICTI XIV. ad Pontificatum*; necnon aliam Academicam *Orationem cum Carminibus italis, & latinis in Inauguratione Ducis Serenissimæ Reipublicæ Genuensis Nicolai Spinola*. Prælo Veneto consignavit: *Carmina Anacreontica, ubi oculorum Anathome explicatur cum Notis Anonymi*. Arisi. de eo in Tom. 3. Crem. literatæ.

Vide  
Pag. 175.

**L**UPANIUS BARTHOLOMÆUS Papiensis religiose vitæ moribus, & excellenti tribus virtutibus præditus, sese in caritatis, & mortificationis palestra singulariter exercuit. Parochus Cremonæ in Ecclesia Divæ Luciæ pro mendicis, & pauperibus ostiæ victum, & stipem captabat; poenitentiis sumptuere dedebatur, & frequentissime abjectioribus in Ministeriis sese occupabat. Validus Exorcista totam diem Exorcismis, & Adjurationibus defatigatus insumebat, & mirandum quod tot, & assiduis huc, illuc discursibus tractus tam parce, & in sero viicitaret tantum cibi assumens, quantum viveret. Pavimentum prædictæ Ecclesiæ saepissime lingendo a summo usque ad imum, & transversim cruces produxit, & quandoque ut eas ibidem vel superbissimus Hostis protraheret, ipsimet imperavit, hinc cum Fœminam, cui nomen

Ventu-

*Ventura* ob sideret, ex ejus imperio debuit in ea Ecclesia Cruces modo recte, modo oblique rebellis Angelus, Mulieris ob sessæ lingua pavimentum prælambendo efformare. Obiit sanctissime in Patria anno 1609., & ad ejus Funebria Concio multa cum lacrymis, osculis, & cultu ex opinione sanctitatis. Ex Adnot. Chro nolog. Patris Sementii in Archiv. Monfort.

## M

**M**AGRIUS SEBASTIANUS Venetus ab anno 1672. die 24. Januarii Nostra Vota professus est; plurimum ab eruditione potuit, nec minus ab Eloquentia, Vir fuit benemoratus, studiosæ solitudini deditus. Plures ex aliena Tribu constituit de penu suo Ecclesiasticos Declamatores, nonnullisque in arte dicendi Neophitos benigne exceptos edocuit, adjuvit, emendavitque non morosus; in Historicis, Politicis, & Monasticis ferme singularis, ad eum tamquam ad Tripodem Veneti Dynastæ, Divique Marci ex Ordine Proceres, necnon aureæ Stolæ Equites frequentes pro Sententiis in pace, & bello de Sella ferendis, consulendisque confluabant: In Ethicis quam basilice scripsit, ejusque Codices asservantur in Bibliotheca Salutis Venetiarum, ubi de anno 1696. prodiere editæ ejus *Conciones Quadragesimales* disertissimis literis, & auro stylo concinnatae, necnon *Oratio in laudem Francisci Sanzzi Divi Marci Procuratoris*, ibidem 1715. Obiit in Patria anno Domini 1730. ætatis suæ 76.

M 2

MAL-

<sup>92</sup>  
**M**ALLIANUS SILVESTER Fossanensis exemplaris vitæ Sacerdos erga Congregationem follicito , perpetuoque amore affectus , Philosophiæ , & Theologiæ Cathedras non sine laude Papiæ , & Mediolani concendit . Præpositus patrium Collegium repetitis vicibus rexit , ampliavit Ædificiis , Redditibus auxit . In ea Domo Bibliothecam variis , & eruditis Codicibus cumulavit , ac Alumnorum Collegium primus ipse excitavit , qui literis , & pietati vacarent : Ingenitem auri summam , suis usibus quamplurimum detrahendo , ex suis pensionibus collegit , eamque pro Ecclesia ibidem erigenda , & non alias expendenda cum suis proventibus , de Majorum consensu , & assensu decrevit , atque ordinavit . Inter Pedemontanos multis ab hinc annis unicus Comitiorum Generalium Vocalis factus , gradus possessionem inire non potuit morte præventus anno 1737. quarto supra quinquagesimum ætatis suæ anno . Habentur apud Nos ejus M. SS. Tractatus Theologici , necnon *De morali Doctrina Casuum Resolutiones* .

**M**ALLONUS THOMAS Vicentinus a Beatæ memoria Viro EVANGELISTA AURATO Generali Præposito ad habitum nostrum admissus , Rheticam professus est Romæ in Collegio Clementino , Philosophiam Papiæ , Theologiam Mediolani , & subinde Genuæ , ubi mille Theorematæ cuilibet proposuit ex universa sacra Doctrina per triduum discutenda cum titulo : *Mille Clypei pendent ex ea omnis armatura fortium* , quæ gloriose propugnavit digladiantibus Stolatis Doctoribus , Picum Mirandulanum imitatus , qui accitis undequaque sapientissimis Viris ad concertatio-

<sup>93</sup>  
tionem millena Axiomata ingeniose defendit . Romæ Sacrarum Congregationum Consulter Sebenici , & inde Belluni ab URBANO VIII. nuncupatur Episcopus ; publico Cardinalium , & Præfulum pro Episcopali munere Examini expositus , & in omnium scientiarum genere trutinatus , ab eodem URBANO commendatus est hisce magnificis verbis : *Utinam ubique hos Episcopos haberemus* : In Sacello Pontificio a Cardinali Antonio Barberino consecratus est anno 1628. Obiit Belluni sexagenario major anno 1649. die 11. Februarii . De eo Imperial. in Mus. Histor. , Labbè Biblioth. Bibliothecarum , Ughell. Italia Sacra , Somasca Graduata memor. Histor. pag. 47.

**M**ALFANTI GENESIUS Genuensis Præpositus Generalis anno 1680. Verbi Dei Enunciator emeritus , prudentia gravis , eruditione eximius , morumque probitate laudabilis sub alieno nomine consignavit formis Genuensis annō 1686. Philosophiæ Compendium . Opus Metheororum ; item scripsit : Paraphrasem in tres Lib. Aristotelis de Arte dicendi , Congregationi se dedit anno 1629. , & decepsit anno 1687. prope octogenarius . Somasca Graduata memor. Histor. pag. 78.

**M**ANARA FRANCISCUS MARIA Cremonensis industris animi indole dotatus , Rheticis , Philosophicis , Theologicis , necnon Matheoseos studiis diligentissime emensis non sine italicæ Poesis cultu , Reipublicæ literariæ benevisus Neapoli primum Philosophiam docuit , deinde Alma in Urbe Theologiam tradidit : De anno 1735. a Mediolanensi Senatu ad expli- can-

**94.** *Candam Logicam facultatem in publico Ticinensi Gymnasio adlectus est; ibidem antiquæ Affidatorum Academiæ associatur, uti & aliis Eruditorum Cœtibus, & Arcadum præsertim Coloniæ Cremonensi sub nomine Irestidis. Plura, & plura italica Carmina in miscellaneis edita composuit. Cumque vero ab eodem Senatu anno 1742. recens Physicæ experimentalis Cathedra in prædicta Universitate erecta fuisset, nova liberalitatis acceptione ad eandem electus est, cui muneri initium datum recitavit, & edidit dicto anno Papiae: Prolysicnem in Ticinensi Gymnasio habitam, &c. In florenti ætate 46. annorum varia prælo adornat. De eo Arisi. Tom. 3. Crem. liter.*

**M**ANSI AEMILIUS Lucensis anno 1672. summa ætate inter nostros Professos adscitus est. Stemmatis nobilitate illustris, sed Eruditorum plauſibus, & Principum benevolentia illustrior. In Concionibus usque ad senium se exercuit, Neapoli, Melitæ, Romæ, Genuæ, Panormi, Messanæ Apostolatus laureas ex eximia eloquii sui dignitate reportavit. Ut Christum lucrifaceret omnium graduum Regularium honores respuit, atque contempſit, hinc Præpositus in Collegio Ferrarensi factus, prælationem quam ex obedientia recusare non potuit, morte dimisit sub anno 1686. Ejus Panegyricæ Orationes patrio sermone conscriptæ ab ejus obitu quantocvus Ferrarens editæ sunt in duos Tomos distinctæ an: 1692., & 1693. sepulto ibidem corpore in Ecclesia Divi Nicolai. Ab Actis ejusd. Collegii.

MAR-

**95.** **M**ARCELLO ALOYSIUS Venetus Fidei propagandæ ardore, innocentia, & fortitudine animi præclarissimus ab URBANO VIII. ad Ecclesiam Sibenicensem anno 1635. assumptus est, quam per tredecim annos difficilimis Reipublicæ temporibus varia cum laude prudentiæ gubernavit, quippe qui an: 1647. cum Sibenicum obſideretur a Turcis, Pastoris partes, ac Dicis pie simul, & fortiter explevit. Ab INNOCENTIO X. in præmium virtutis anno 1648. ad Polensem pinguiorem Ecclesiam translatus est. Cumque Romæ de an: 1661. sacra Limina ~~ad~~ veneraretur, ætatis 65. extremam diem ibidem clausit 17. Julii, & funeratus est in Ecclesia Sanctæ Mariæ sub Marmoreo Lapide cum luculenta inscriptione, quam ejus Vicarius Generalis Polensis Archidiaconus moestissimus posuit Franciscus Bartiroma Vicentinus. Morer. in suo Diction. Histor. lit. A, Ughell. Ital. Sacra, Somasca Graduata mem. Histor. pag. 48.

**M**ARCHESIUS THOMAS Foroliviensis in Religione Deo dicatus, vitæ integritate, ac morum suavitate Deo placuit, & hominibus, paupertatis, & patientiæ Cultor perpetuus, Orphanorum, Instituti non immemor, in cura, & famulitio totus fuit. Pœnitentiis, & corporis mortificationibus carnem domuit, vigiliis, jejuniis, ciliciis attrivit. Inter cætera nuda ei humus pro strato, aqua pro potu, Oratione pro pabulo sufficiebat. Martyrio caritatis consumptus est Neapoli in Domo Piétatis die 1. mensis Junii anno 1619.

MA-

**M**ARICONUS JOHANNES PAULUS Genuensis in Philosophicis, Theologicisque scientiis commendatissimus, Theologiam Mediolani praelegit. Viennæ Austriæ cum negotiorum caufsa immoratur Episcopus Hippensis adligitur anno 1729. a die religioſæ professionis vigesimo octavo sub Pontificatu BENEDICTI XIII. ob ejus morum suavitatem, prudentiam, & dexteritatem Carolo VI. Imperatori acceptus, & Aulæ, non pauca pro fe, suaque Gente beneficia, gradusve reportavit. *Somasca Graduata memor. Histor. pag. 107.*

**M**ARTINENGUS MAURUS ANTONIUS Papiensis nobili literarum fulgore decorus, in Coetu *Affidatorum* clarus, inter Arcades clarissimus Pastor *Lamiacus*. Sub hoc nomine edidit Librum Venetiis 1743. cui titulus: *Gli Asolani del Cardinale Bembo compendiati, e tradotti in Versi Toscani*. Cremonæ vero anno 1740. evulgavit: *Prosa in morte del Reverendissimo Padre D. Carlo Maria Lodi Assistente Generale de' C. R. S.*, item *varia Poetica* in Miscell.

Vide  
pag. 219.

**M**AZZUCHELLUS JOHANNES PAULUS Mediolanensis maximæ eruditionis Sacerdos, emenſo in Academiis nostris Magisterii itinere, irrequietus noctem, diemque literis infudavit; sibique studiorum pondere, & occupatione mortem immaturam accelleravit Mediolani anno 1720., ætatis suæ 42. quo tempore ejus virtutum fama italiam prætergressa, totam fere Europam, & extrema maria occupaverat. Edidit in Patria sub nomine ficto *Justi Vicecomitis* de anno 1711. Dissertationem prænotatam: *Mediolanum secunda Roma.*

**R**oma. Aliam Bergomi 1712. Pro Bernardino Corio Mediolanensi Historico. Aliam ibidem, cui titulus: *Colonia Ticinæ Romanae Commentum exufflatum pro Regia Ticinenſi Urbe aduersus Cl. V. Antonium Gattum*. Aliam Brixiæ 1713. sub lemmate: *Novaria in Tribu Claudiæ*. Item scripsit Historiam: *De Vita Venerabilis P. Angeli Marci Gambaranæ ex primis Sociis Beati Patris Nostri HIERONYMI AEMILLIANI*, quæ M. S. asservatur in Archivio Monfort. Sancti Petri Mediolani, necnon prælo paraverat Opus aliud, quod non potuit perficere morte, præventus inscriptum: *Athenæum literatorum Mediolanensium*, ibidem.

**M**EDIOBARBUS JOHANNES ANTONIUS TICINENSIS ingenio usque ad invidiam felici, mortuusque suavitate tanta, ut & ad exornatidam sæculi sui gloriam, & ad demerendos omnium animos natus esse videretur. Orator præstantissimus, & Vates ornatussissimus; unus ex Academicis *Affidaris*, unus ex Errantibus, & inter Arcades: *Vitaneo Gareatico*. In Augustæ Taurinorum percelebri Academia Geographiae Lector, & politiorum literarum Professor, nedum benevolentiam, verum & admirationem apud VICTORIUM AMEDÆUM Sardorum Regem est consecutus. Profectus in Gallias Parisiis constitit, & a Rege LUDOVICO XIV. benigne exceptus, gratiis, & honoribus auctus est; porro ut obsignatissimæ venerationis suæ fidem erga tantum Regem testaretur, Elogia Cæsarum in nummis dispersa collegit, & invictissimo Principi adeo accommodavit, ut res a tot Imperatoribus octo prope seculis præclare gestæ, unius imperii ætate, unius Ludovici Regis moribus, vita claudantur; Opus certe novum,

Vide  
pag. 175  
at 182

novum , & laboriosum tanto tamen dignum Regem :  
Eius titulus est : *Ludovico Magno Panegyricus Imperatorum  
nummi contextus* . Ex quo constat totam cum ipsis Cæ-  
saribus antiquitatem Ludovici Magni ländibus famula-  
ri . Tanto plausu , & fama prodiit Parisis anno 1703.  
ut quamprimum a Cæsare Baudelot in Senatu Parisiensi  
Advocato in gallicum , indeque ab ipso Auctore in ita-  
licum fuerit translatus , addito ad calcem Numismatum  
indice , necnon Auctorum , & Cimeliorum Catalogo ,  
*ex quibus illa deproprompsit* : Eum donavit Rex Ludovi-  
cii aureo torque cum Bulla Regia , quem collo ejus  
propriis manibus involvit , Decreta insuper quingento-  
rum Francorum annua pensione ; dum Taurini esset  
scripsit etiam , & evulgavit anno 1699. eruditissimas  
*Vindicias Francisci De-Lemene pro ejus Endymione* italico  
sermone impressas . Vixit Mediolani in Monforto anno  
1705. ætatis 34.

**M**ELLINUS JOHANNES GARSIA Romanus ,  
cum dudum Juris Utriusque Doctor vellet se  
sæculi curis expedire , Congregationem No-  
stram præelegit , & post varios inter Nos in Theologi-  
cis facultatibus annos exactos , animum ad concionandi  
munus convertit , in quo adeo notus , & commenda-  
tus , ut summum ex eloquio decus in præcipuis Italiae  
Urbibus in queis evangelizavit , reportaverit ; in Col-  
legio Amerino in Umbria , ubi fuit quandoque Præfus  
ejus habentur M. SS. *Orationes Panegyricæ* , *Conciones per  
zoram Quadragesimam* . Romæ edidit anno 1656. Opus  
*in laudem Christinæ Svecorum Reginæ* dum Romanam Au-  
gustissima Heroina advenit . Obiit labente XVII. sæcu-

lo , & in Ecclesia Sancti Angeli Ameriæ ejus corpus  
quiescit . *De eo Mandat. in Biblioth. Rom.*

**M**ERELLI PHILIPPUS Genuensis rerum agen-  
darum peritia clarus , sed Guberniis in Con-  
gregatione clarius . Bononiæ Collegium , Aca-  
demiam *Portus* vocant , nostræ curæ tunc demandatum  
primus rexit , Ædificiis ampliavit , ejusque celebrita-  
tem habitis solemnibus Academicis Artium Liberalium  
Exercitationibus auxit . Romæ Collegium Clementi-  
num , quod ad plures annos moderatus est , augustio-  
rem in formam rededit , Atrium depictis peristiliis , cir-  
cumque ferreis podiis nobilitavit , Aulam elatis utrin-  
que tabularis ad pugnata spectanda cumulavit . Robu-  
stiori ætate Quadragesimalia Suggesta condescendit , in-  
eis oppidatim celebris . In Provincia Romana bis Præ-  
ses , non semel Consiliarius ; publica munera Vir ma-  
gni animi summa cum laude functus est . *Nonnullas  
Tragedias* ab Eruditis Gallorum patro sermone conscri-  
ptas , diserte interpretatus italicas fecit , & ad usum  
nostrorum Collegiorum præfis Romanis impressit , item  
de anno 1704. edidit *Orationem Panegyricam* , cui titu-  
lus : *Il Secolo illuminato* , quam habuit Genuæ ad Mo-  
niales Cœlestes vulgo *Turbine* , dum Instituti sui an-  
num centesimum celebrarent . Laudatissimam vitam re-  
ligiosissima morte conclusit Genuæ septuagenario major  
in Suburbio Bisannii anno 1731. mense Martio .

**M**ERULA JOHANNES PAULUS Ferrariensis  
religiosorum morum , exemplarisque vitæ or-  
natu laudabilis Sacerdos ; ab anno 1681. us-  
que ad hæc tempora Congregationis indefessus Ope-  
ra-

rarius, modo Oratōr, modo didascalus, modo Novitiorum diœcetes, modo Parochus, modo Orphanorum minister continuis laborum gradibus illustratus est: Genuæ cum esset, sub anno 1598, editit italice Epithalamium sacrum in nuncupatione Votorum Barbaræ Victoriae Raggi ex Ordine Cœlestium, Sanctissimæ Annuntiatæ inscriptum: *Il godimento nella Croce,*

**M**IGLIORINI ALOYSIUS Patavinus suo ævo Concionator celeberrimus, Præpositus Generalis de anno 1590, electus est. Cum Dei honorem zelaretur ferventissime, multa passus est Genuæ ab hominibus, & exilium: Primus pro tota Congregatione *Constitutiones* concinnavit, præloque evulgavit, donec mutatis circumstantiis temporum, alia a Sancta Sede approbatæ efformarentur. In senio vel mortaliter decumbens pensum canonicum persolvit, & Sacrificio astitit, quod jugiter in suo cubiculo peragi usque ad Animæ anxiationem curavit. Prophetico spiritu mortem suam instantem prædicens ursit adstantes ad unctionem præmissa efficaci ad Religiosos suos de tribus Votis concone, qua eos ad lacrymas, & suspiria ardenter attraxit. Cum autem detrectarent PP. eum inungere, minime adhuc de ejus obitu meticulosi, properam unctionem petiit, dicens: *Dominus ad ostium pulsat, & vix ferme inunctus occubuit.* De tam pio Viro Casalich. in suo Opere: *Gli Stimoli*, ec. Somasca Graduata memor. *Histor. pag. 23.*, Archiv. Monfort. Mediolani Sancti Petri,

**M**INOTTI FRANCISCUS Ferrarensis in Congregationem ex summa ejus pietate, & virtutum tam Moralium, quam Theologalium, radiis, quibus undequaque coruscavit, invectus est. Primus de anno 1562. Rector Domum, & Ecclesiam Sancti Geroldi Cremonæ gubernavit, ubi ut Deo vacaret cumulatus, & pauperibus juvaret copiosus, nullum vel abjectissimum munus effugit, quo Orphanis opitularetur; modo sportulis panes, modo manticis fruges, modo ostiatim stipem colligens subsidia caritatis. In vitæ suæ stadio omnibus virtutibus prolusit, & brevi ad eum perfectionis apicem pervenit, ut humilitate, obedientia, paupertate, orationis studio, eximie floruerit. Operarius ferventissimus una cum Præposito Generali Franciso Spaur, qui Neapolim versus iter arripérat, propheticæ se in Lauretanæ Mariæ Orphantrophio Rectorem destinandum, & quantocuyus se ibi moriturum prædixit, & plane paulo post ab ejus adventu levissimo quidem, sed continuo febriculæ ardore succensus in ea Domro obiit in Domino, uti prænunciaverat, labente anno 1571. tota Parthenopæa Urbe ad ejus funera turmatim confluente ex nota ejus sanctitatis opinione, & fama, cum singuli eum tanquam Angelum avidissime in ejus adventu excepissent, & latissime fuissent amplexati. Ex Tab. Cronolog. Patris Segment. in Colleg. Monfort. Mediol.

**M**OJA ANTONIUS MARIA Mediolanensis primis a Votorum emissione annis alter futurus videbatur quam fuerit, proiectiori ætate mutatus est plane in Virum alium, abjectis laxamentis, voluptatibus contemptis, posthabitisque universis, quæ Mun.

Mundum sacerent, se totum Deo mancipavit, oblunga barba, subraso capite, corolla virginea lateri alligata undequaque ad modestiam compositus, vultu pietatem, devotionem incessu, & tota corporis habitudine reverentiam ingessit, ac conciliavit. In colloquiis piis, in jejuniis sedulus, in flagellis asperus, in Concionibus fervidus, opere, & sermone de Hoste triumphavit; rarissime Domino egrediens unice delectabatur conversatione cœlesti, quæ ex oratione, contemplatione, & meditatione haberetur, semper genuflexus Breviarium oravit, & frequentissime in Choro Sacramenti Eucharistici veneratione impellente persolvit. Plurimum Collegiorum in Congregatione Præpositorus, & præcipue Luganensis, sedulitate, recto ratiocinio, dexteritate censem auxit. Viglevanum Rector profectus diuturno quidemi desolatus morbo, matura ætate patientissime mortem obivit anno 1709., & tumulum, quem recenter excidi, ac effodi jussérat, primus occupavit. *Ab Actis ejusdem Collegii, & Relat. Authent.*

Vide  
Pag. 197.

**M**OJA PETRUS FRANCISCUS, & ipse Mediolanensis præstantissimus Concionator, moribus, & suavitate dicendi spectabilis, Comi Sancti Officii Consultor, in Visitatoris munere nemini secundus; Romæ Sacrae Theologiae Lector, cuius ALEXANDER VII. vere optimus Pontifex, totaque Alma Urbs eloquentiam, & sapientiam arcuato supercilio admirata est; dum Petrus Maironus ad Eseniensem Ecclesiam ab Infulis Thelesinis fuisse translatus, ipse subrogatus est anno 1659. prædicto Pontifice mandante, cumque eam Thelesinam Ecclesiam egregie, laudabilem & pulchram ostendere, utique non solumque

terque annos quindecim rexisset, anno 1675. migravit a vita. Ex Ughell. Ital. Sacr.

**M**ONDINI JOHANNES PETRUS Venetus De- finitor olim, & in Almo Salutis Venetiarum Collegio Præpositus, pietate, doctrina, & prudentia illustris; Præposituram sibi commissari tanta vigilantia, & sollicitudine administravit, ut in eo nihil desiderare ultra potuisset, qui tantum de optimis delectaretur. Ingenio mitis, laudum impatiens, & quamvis ab omnibus bene auditet, alienæ non suscitari tribuebat quod laudaretur; totus omnino non in audiendis laudibus, sed promerendis. Sibi Concionatoris Evangelici onere imposito perfectissimi Oratoris numeros omnes explevit, ut in arte dicendi sensorum pondere, & eloquio haberet quisque semper, quod imitaretur, nihil unquam quod carperet. Alexandriæ a Palea anno 1734. adeo celebriter in magni Jejunii diebus Conciones suas pronunciavit in Ecclesia Sancti Syri, ut Auditoribus prorsus viduata Cathedrali, omnes sive Majores, sive Minores de Civitate cuiusvis gradus, & status, ipsum audituri, eloquentissimis ejus Dictiobibus adfuerint. Edidit Romæ anno 1708. *La Vita della Venerabile Lucij Ferrari Capuccina*. Habentur etiam scriptæ *Conciones Quatragesimales*, necnon ejus *Panegyrici de Benta Virgine, & Sanctis*. *Sermones Morales, & de Sacramento*: Hominem exuit Venetiis an: 1740. die 11. Februarii ætatis suæ 62.

**M**ONTICOLI LAMBERTUS Ariminensis Congregationis Sacerdos, scientiis florentissimus, & sanguine nobilissimus, dato Somaschis no-

mine

mine non minus solemnia Vota , quam amoeniora studia professus est : Insignes Ephebos Romæ in Clementino Collegio , & Venetiis in Ducali Seminario instituit , in quibus mirificam existimationem est nactus inter Rhetorices Professores . Opus edidit in duos Libros discretum ; primus inscribitur : *Praxis Oratorie Apparatus* . Venetiis 1658. ; secundus : *Praxis Oratorie Summulae Rhetoricae* , ibidem 1659. Opus novum , & ad nova , nec adhuc post tot Rhetoricas Theorias ab ulla excogitata . Ad finem properante XVII. saeculo , absoluto hujus labilis vitæ cursu , doctrina perinde , ac pietate ornatus ad recipiendam mercedeim laborum suorum evocatus est .

**M**ORO PETRUS Venetus Orator , & Vates suo avo nunquam satis commendatus , Vir etiam græce , & latine doctissimus , & in aliis scientiis probe versatus . In Athenæo Clementino Venerabilis Francisci Franchetti Alumni , qui habitu nostro induitus ne malitia mutaret Animam illius , juventutis suæ flore , religiosissime vivendo , sanctissime vixit , in Rheticis Artibus Magister fuit . Edidit ad usum Scholarum : *Grammaticam Græcam* , & *Latinam* , aliaque Opuscula sua ætate dignissima , de quibus testatur . *Crescent.* in suo *Præsid. Romano Lib. 2.* Obiit Venetiis die 26. mensis Septembri anno 1661. ubi fuerat jampridem in magna Mendicantium Domo Rector constitutus .

NIGRUS

**N**IGRUS AUGUSTINUS Laudensis Congregatio- ni nomen dedit sub Praeposito Generali Paulo Carrara ætatis suæ vere , in Sanctorum scien- tia peritissimus , omnium virtutum exemplum opere , & sermone se præbuit universis , ac ejusmodi in cun- clitis se præstítit , ut nil quidpiam honestius , atque sanctius potuerit , quis in eo desiderare : Erga Passio- nem Christi , ac erga Virginem ejus Matrem tantis fer- rebat affectibus , ut præ animi teneritudine in gemi- tus , vel invitus prorumperet , impotens temperare , sicuti nunquam fuæ , ita nec alienæ saluti indormivit , armatura Dei , & Lorica justitiae indutus frænabat præ- cipites , dormitantes excitabat , cohíebat irascentes , compescébat excedentes , peccantesque omnes sanctissi- mis exemplis , ardentibusque consiliis in viam Domini dirigebat . Singularis profecto fuit ejus vitæ pietas , sed singularis subinde ex ejus obitu dolor ; Merati hac vita sanctissime functus est anno 1662. die 19. mensis Julii annos natus septem supra viginti . Porro statim , ac religiosissimus Vir e mortalium angustiis abiit , perho- norifice ejus mors evulgata est spontaneo Campanarum sonitu in eo Sancti Bartholomæi Collegio , ubi deces- sit Teste integræ fidei , nec mediocris virtutis religio- so nostro Nicolao Ravasio , qui ibidem tunc tempo- ris immorabatur , quiique ejus decessui adfuit , & æra sponte sonantia audiuit . Ex Epistolo mihi ab Alexan- dro Maria Brambilla Præp. Prouli dato sub die 12. Augusti 1740.

O

NO-

**N**OVELLI HIERONYMUS patria Vicentinus, in Seminariis Venetis publicus Philosophiae, & Theologiae Professor, literis Græcis, Latinis, & Hebraicis ornatissimus, vitam suam nendum scientiis, sed & pietate illustrem reddidit. Dum in extremis ageret, ei Beatus **HIERONYMUS AEMILIANUS** Parenis Noster apparuit, suaque mirifica visione solatus est, eoque evadente, Institutorem suum ad Cœlos redeuntem comitatus est die 25. mensis Octobris anno 1623. Obiit Mediolani in Collegio Monfortiano, & scripto posterioris ibidem de anno 1617. italice

*Vita di San Lupo Grotto se-  
condo Principe di Bergamo,  
Vita di Santa Grata Prin-  
cipessa di Bergamo.  
Vita di Santa Esteria Ver-  
gine, e Martire Princi-  
pe di Bergamo. Atti de SS. Fermo, e Ru-  
stico Cugini di Casa Grot-  
tina.*

Item scripsit nonnulla alia de prædictis Divis Firme, & Rustico, & præcipue de eorum Reliquiis dum ab Africâ in Histriam translatae sunt, in eodem Opere comprehensa. *De eo Arisius in sua Crem. liter. Tom. 3. Santinell. in Vita Hieron. Aemil.*

**O**RGIANUS ALOYSIUS Vicentinus Humanarum, ac Divinarum literarum fulgoribus splendide decorus, modo in Congregatione Rhetorico-cum Interpres, modo Philosophiae Lector, modo Theo-

lo-

logiæ Professor, Cathedras rexit. *Disciplina regularis acerrimus Propugnator, moribus, habitu, exemplo, non verbis unicuique, sed opere prædicavit, ut Christum in corde, & corpore quisque portaret. Apud Episcopos ea fuit de ejus pietate opinio, & sensus, ut ipsi, ei Sanctimonialium curam, ad earum in via Domini fervorem, & spiritum excitandum sæpiissime demandaverint. Cum diu Religionis Dignitatibus viriliter restitisset, ultimo adhibito conaru Comitiorum cunctis Patrum suffragiis Vicarius Generalis an: 1724. creature; nec unquam magis, quo dignitatis gradu esset inauguratus innotuit, quam ex puriori erga Deum amore, promptiori humilium rerum praxi, & fervidiori devotionis affectu, non fastu dominationis: Tandem obitus sui coelestialiter præmonitus in Divinæ voluntatis obsequium effusus, lætanter nuncium mortis accepit, & sub anno 1729. die 19. Septembris unanimi ex coelestibus mansionibus occupaturus placide Animam emisit in Vicentino Collegio. Ab Actis ejusd.*

P

**P**ALEARIUS JACOBUS Cremonæ natus, in Nostra Ecclesia Divæ Luciæ curam Animarum ab anno 1594. usque ad annum 1598. exercuit, Zealator robustus, Pastor tenerrimus, Excubitor fidelis. Erga Passionem Domini, ejusque cultum singulariter affectus edidit Cremonæ an: 1597. Opusculum inscriptum: *Il modo di visitare i SS. Sepolcri nella Settimana Santa con frutto, e divozione. De eo Arisi, Tom. 3. Cremonæ literatæ.*

O 3

PAL.

**P**ALLAVICINUS BENEDICTUS Genueensis, sive Rectorem in Gubernio, sive Professorem in Clementino Theologiae ageret, totius Congregationis fuit præcipuum ornatum, adeo Romæ, nominie, & sapientia floruit, ut Regina Svecorum Christina, quæ ibidem substiterat, peroso Hæresis in Regnis suis debacchante contagio, eum in suum Theologum asciverit, & Collegium Clementinum sub suis auspiciis receperit. Vir literis, & scientia summus, sollemni ex Diatriba ferventissimæ febris correptus morbo brevi tempore occubuit anno 1687. jam jam Purpura supervestiens, relieto nobis magnifico dubio; an doctor vixerit, an gloriosior obierit. *Ab Actis prædicti Collegii,*

**P**ALOMBARA MAXIMILIANUS Romanus totam fere vitam, ætatemque suam in cathechizandis pueris, & puellis insumpxit, puritatis tam inse, quam in aliis amantissimus, perpetuum moribus depravatis, necnon dissolutis fœminis bellum indixit, pro quo multipliciter impetus, non paucis ante obitum annis oculorum cæcitatem passus, molestissimum incommodum patientissime sustinuit, contentus eo lumen, quo ipsum Divina Bonitas diraverat. Obiit Romæ anno 1730. evulgavitque Anonymus ibidem de anno 1710. ad Doctrinæ Christianæ emolumentum, & Parochorum utilitatem Opus, cui titulus: *Istruzione della Vita Umana descritta negli Articoli della Santa Fede.*

**P**ANIGAROLA FRIDERICUS Mediolanensis ex eo ordine, quos Prothonotarios Apostolicos vocant, Beati HIERONYMI AEMILLANI Socius, opibus, hono-

109  
honoribus, dignitatibus contemptis, & spretis divino se totum famulatu*mancipavit*. *HIERONYMI* piis vestigis inherens in Mediolanensi Divi Martini Orphano-trophio vitam omnium virtutum laude florentem ad multos annos traduxit. Tandem i spiritu divino impellente Somascham profectus, meritis cumulatus, & insignibus caritatis operibus, magna sanctitatis opinione in Eremo Somaschæ mortalitatis exuvias depositus. *Tertur.* in *Vita Beati Hieronymi Aemil.* Lib. 3., *Somascha Grad.* memor. *Histor.* pag. 17.

**P**ANIGATI SYRUS ANTONIUS Papiensis ab anno 1673. professus, in Exedris, & Suggestis disertissimus modo Rhetor, modo Declamator, cum in arte benedicendi omnes partes exploreret, necnon perspicacissimam ejus facundiam, suadendique vivissimum artificium essent universi admirati, a Regio Mediolanensi Senatu in celeberrima Ticinensi Universitate Eloquentiæ Lector præfectus est. Tanti Viri fama adeo percrebuit, ut omnes, qui sive in Pontificio Jure, sive in Cæsareo inaugurarant Laurea Doctorali, sibi eum in Oratorem deligerent; unde centenas, & ultra de eorum laudibus *Orationes* habuit. Obstetricantibus itidem latinis, italisque Musis, plurimæ hujus et Bibliopolio Papiensi prodiere in lucem *Pindaricæ Lubrificationes*: Anno 1704. Ticini Regii *solemni*, *funebri* que *Panegyri* cusa, celeberrimo Vati, & Doctori commendatissimo Francisco De-Lemene parentavit. Conclaves suas Quadragesimales, & Sermones sacros Fratri suo ex Ordine Minorum, quos Reformatos, sive Recollectos vocant dono dedit. *Ab agone mortalium*, di-

discessit anno 1705. die 8. Augusti non sine moerore Li-  
teratorum.

**P**ANVINIUS PANTALEO Cremonensis, Tarvisii Episcoporum Examinator, necnon ibidem in Divi Augustini Collegio Præpositus, pridem Venetiis in Seminario Ducali Philosophiae Lector, ad Almam Urbem transfertur, ubi cum in quadam Concertatione publica post longam plurium Theologorum Disputationem res adhuc, de qua agebatur, in dubio staret, & in ancipiti, ipse, vel extra chorum, & ex improviso graphicè rem enucleavit, atque dissolvit, quod nonnulli Cardinales, qui intererant mirari, eum laudant cumulatissime, & in Theologum postulant. Edidit Tarvisii anno 1606. Opus aureum, cui titulus: *Speculum Animæ*, in quo dilucide explicantur ea, quæ omnibus, præcipue vero sacris initiandis, & curam Anima- marum habentibus maxime necessaria visa sunt; aliud ibidem, cuius lemma: *Syntaxis Resolutiva pro unoquoque ab Aristotele considerato in Philosophia tam naturali, quam divina ad omnium utilitatem, & gloriam Veritatis*. Scripsit etiam *Commentaria in Divum Thomam*, & super Lib. tertium *Sententiarum*; item *Expositiones literales in loca difficiliora totius Sacrae Scripturae ex utroque Testamento*; necnon *Librum Philosophiae editum* Venetiis Teste Crescent. in suo Præsid. Romano Lib. 2. Obiit Vicen- tiæ anno 1612.

**P**ASTORI FRANCISCUS MARIA Januensis Na- stris adscribitur anno 1679. Philosophicas, & Theologicas facultates Romæ, & Genuæ per- petuo Sapientum elogio prælegit. In Patria Ecclesiasticus

Exa-

117

Examinator, & Sancti Officii Consultor. Typis Roma- nis mandavit anno 1701. Opus Philosophicum tam ad Veterum, quam ad Modernorum mentem, & placita elucubratum inscriptum: *Universæ Philosophiae studia Pa- pa CLEMENTI XI. sacra*. Ætatis suæ 63, anno 1724. a patria terrena ad cœlestem transit.

**P**AVIA ANGELUS MARIA Januensis professus ab anno 1667. die 2. Januarii ob defecatos mores, & in rebus agendis solertia omne in ævum commendandus, bis Provincialis, semel atque iterum Consiliarius in Provincia Romana, Collegium Clemen- tinum repetitis vicibus rexit, quo tempore, nec unquam alias, ex ejus nominis amplitudine undique confluen- tium Nobilium copia, & frequentia abundavit. Romæ ob oris suavitatem, corporis dignitatem pluris a Pur- puratis Patribus, sed plurimi ob morum integritatem, vitæque candorem habitus est; plurium Matronarum, & Procerum, necnon Sanctimonialium Alma in Urbe a Confessionibus fuit, Infulis indeque Episcopalibus inau- gurandus, si eis morem gessisset, immo suprema Ge- neralatus Dignitate anno 1698. ornandus erat, ni ne- glecto honore Comitiorum paci studuisse: In rebus suis non magniloquus, in tolerandis injuriis humilis, in contrarietatibus patiens, perpetuo affectus suos com- pescuit, dignus proinde quem, vel invidorum livor ipse laudaverit. Sincero, bonoque animo erga Religio- nem in prosperis pariter, ac in adversis ejus decori, ejus commido inservivit usque ad extremam diem, quam anno 1706. Ætatis suæ 61. in Collegio Genuensi, ubi fuerat quandoque Præpositus, & Noyitorum Magister explevit. Ab Actis ejusdem Collegii.

PA-

**P**AVIA FRANCISCUS MARIA Noster ab anno 1675. die 20. Decembris superioris Frater , litteris eruditus , religioso spiritu plenus , vita sincerissimus , in Religionem a Deo vocatus in humilitatis exemplum , devote lepidus , ingenio dulcis , juste morigerus ; in Collegio Novarum Bibliothecam primus instruxit , Codicibus ditavit ; ad Provincialatus Romani Præposituram promotus dignitatem , quam ex Majorum imperio recusare non potuit , ex sui dejectione intra sex menses abdicavit . A primis annis usque ad obitum , cultum erga Virginem , cuius amore præcipuo æstuvat , singularem servavit , nulla cadente die , qua ejus laudes non recitaret . Nil magis in Votis habuit , quam in se , & in aliis pietatem fovere , omnesque ad meliorum Charismatum æmulationem incendere . In spiritualibus fidelis Ductor a selectioribus , & nobilioribus de utroque sexu in Confessarium adlectus , fere singulos dies Animarum directioni vacavit , meritorum copia affluens , 68. annos natus , migravit ad Dominum . Genuæ 1723. die 29. Julii .

**P**AZMANI PETRUS Hungarus patria Varadiensis e Societate Jesu Nostris ascribitur decimo septimo supra millesimum sexcentesimum anno de licentia PAULI V. eum acceptante Præposito Generali Alessandro Boccolo Cremonensi , sed anno 1618. ab eodem PAULO ad Strigonensem Archiepiscopatum electus est , inde ab URBANO VIII. sub anno 1629. die 19. Novembris ad Purpuram Cardinalitiam : In Hungaria Orthodoxæ Religioni pene labanti strenuam manum , & pietatis , & operis supposuit , & quidem frumentu adeo copioso , ut Romana purpura meritissime de-

coraretur . Græci styriæ 1605. edidit : *Diatribam Theologicam de visibili Christi Ecclesia* . Viennæ 1620. *Vindicias Ecclesiasticas* . Possonii 1636. *Conciones in Evangelia omnium Dominicanorum* , & aliquot Festorum per annum , & quamplura alia apud Ribadeneiram in Biblioth. Societ. Jesu . Obiit Possonii anno 1637. die 19. Martii . *De eo Crescent. in Praesid. Rom. Lib. 2.* , qui ejus transitum ad Somascos refert . *Somasca Graduata mem. Histor. pag. 45.* ubi plura .

**P**ETRASANTA CAROLUS Mediolanensis Verbi Dei Concionator ad prodigium clarus , vere Gigas electus ad currendam viam Apostolicæ Prædicationis , cuius auream facundiam expressit hoc purissimo , & ingenioso Anagrammate Marchio Gregorius Spada : *Carolus a Petrasanta* ; *Aurata Seclaportans* . Veronæ , ubi publice Rhetoricam docuit fuit Librorum Revisor , Alexandriæ a Palea Sancti Officii Consultor , Mediolani Academiæ *Faticosorum* in Divi Antonii eretæ unus ex Fundatoribus , qui deinde præfuit Censor , & Caput . Obiit in Patria in Collegio Monfortiano anno 1691. conscripsit vernaculo sermone *Panegyricos sacros* Tom. 2. quorum primus editus fuit Mediolani anno 1689. , secundus Papiae de anno 1697. *Abortus Clio Imperfectiones Poeticas* Tom. 2. , aliud etiam Opus prælo adornavit sub titulo : *L'ingegno Maledico* , in quo a præclarioribus Viris aliena semper morderi demonstrat .

**P**ETRICELLI DOMINICUS Venetus . Reipublicæ publicus ex Decreto Senatus Orator , exemplarissimam vitam cum lectissima Eloquentia con-

juxit, in praedicto gradu, quo erat inaugurus modestiam, animiunque morigerum exhibuit. Plures Orationes funebres in obitu summorum Virorum dixit, & conscripsit: Digniora tamen ejus ingenii surit monimenta in Bibliotheca *Salutis Venetiarum*, ubi supremum tempore clausit mense Martio 1728. nempe: *Tractatus de Geographia*, italice scriptus. *Prolegomena ad Ethicam*, & *Politica Aristotelis: Ethica, & Politica Aristotelis explanatae*.

**P**ETRICELLI NICOLAUS antedicti Frater sanguine, & virtute, morum candore, & doctrinæ laude famigeratus, scripsit *Historias quatuor Archiepiscoporum Spalatentium e Congregatione Somascheni assumptorum Bonifacii Albani, Stephani Cosimi, Stephani Cupilli, & Johannis Baptiste Laghi*, quæ editæ leguntur in Tom. 28. Opusculorum scientificorum collector, a Calogerà. *Orationem Panegyricam in solemani Inauguratione Excellentissimi Domini Petri Grimani Divi Marci Procuratoris*. Venetiis 1720. Reliquit M. SS. Lubrurations varias, poeticas, & oratorias, italias, & latinas, quæ asservantur in Colleg. *Salutis Venetiarum* ubi deceffit anno 1743.

**P**ETRIGNANUS FERDINANDUS Americensis spretis saeculi honoribus, ad quos ipsum Principum benevolentia invitabat ex sanctimoniae opinione collecta, humilem Somaschæ Coetum ingressus est, in quo sui ipsius despectu, innocentia, prudenter, caritate non ficta adeo resplenduit, ut coactus ad publica munia capessenda, ea religioso splendore, & omnium laude, quod raro contingit administraverit. Pau-

cis

cis ante obitum annis ab omni publica cura secretus, strictioris vita observantia, & absolutissimæ virtutis exercitio consumptus, quia placita erat Deo Anima illius, corpore Ameriae deposito ad bravum pervenit retributionis, magno de le toti Congregationi desiderio relieto anno 1651. ætatis suæ 67.

**P**EZZALI MARCUS Cremonensis Orphanis instituendis nomen, & operam præstítit, totusque in iis colligendis, sustentandisque tuit an: 1558. Eorum cura nobis demandata in Domo, & Ecclesia SS. Geroldi, & Vitalis, quæ deinde ad nos jure proprietario pervenit ex Bulla Sancti PII V. de an: 1569. habitum nostrum, & Institutum eximiae caritatis amplexus est, & professus anno 1562., & in Divino cultu promovendo, in misericordiæ operibus exercendis adeo mirificus fuit, ut sollicitudini ejus, omnes qui instrui, atque erudiri deberent, fuerint commissi. Nicolaus Sondrati Episcopus Cremonensis egregium onus propagandi, & ampliandi per Urbem Societatem Operariorum Doctrinæ Christianæ a se anno 1564. canonice approbatam ejus zelo, & humeris imposuit, indeque die 25. Junii prædicti anni, Prior Generalis constitutus est. Usque ad annum 1568. hujusmodi Prioris Generalis munus sustinuit, & divinum plane Institutum necum in Civitate, verum & in tota illa Diœcesi propagavit. Cum autem tunc nullo Votorum nexu Congregatio nostra teneretur, a Claustro ad curam Animarum primum in Parochia Sanctæ Mariæ in Betlehem, postea nempe de anno 1572. in Parochia Sancti Faustini se contulit, ubi exemplaris, devotæque viræ cursum absolvit anno 1585.

**P**ISENTI JOHANNES BERNARDUS Foro julien-  
sis inter summos virtute Viros brevi tempore  
connumerandus , ni intempestiva morte rei liter-  
ariæ præreptus fuisset : In florenti adhuc ætate ob suam  
amplissimam eruditionem in gravioribus facultatibus ,  
ejus fama , vel in remotissimas Orbis partes effusa est ,  
ut quis crederet esse senem , licet ab humanis abierit  
mündum quadragenarius Venetiis anno 1742. , ubi plu-  
ra edidit nempe : *Spiegazione del Sistema solare di Whi-  
ston* , 1725. *Saggio della Filosofia di Newton* , 1733. *Le-  
zione sopra lo Scudo di Achille descritto da Omero* . Hæc  
inserta legitur evulgata in Tom. 27. Opuscul. scientific.  
collect. a Calogerà , qui eum prolixo elogio laudat in  
dicto Tomo , item habentur M. SS. Tractatus varii :  
*De Cronologia* , *Poesi* , *Ethica* , *De Trigonometria* , nec-  
non alii *Physico-Mathematici* ,

*Vide*  
*Aug. 177.* **P**OCOPANI FRANCISCUS Brixiensis indefessus  
inter nos Operarius , plurimum ornamenti ex  
ejus literariis laboribus , & virtutum meritis ad  
nostram Congregationem derivavit . In maximis assiduo  
occupatus , maxima undequaque implevit . Obedientiæ  
tam fuit studiosus , ut ad nutum superiorum , vel  
laboribus fractus , vel muneribus defatigatus , omnia si-  
ve humilia , sive grandia , sive facilia , sive ardua li-  
bentissime semper agenda suscepserit , nullam unquam  
aut loci , aut temporis , aut ætatis portendens excusa-  
tionem , hinc in senio jam Scientiarum Lector emeri-  
tus in Clementinum Collegium vocatus ad Theologicas ,  
& Philosophicas facultates iterum profitendas , eas hilari-  
ter prælegit in arenam descensus recens Digladiator .  
In Seminario Ducali Venetiarum quandoque Rector ,  
ibi-

**P**OLO FELIX Tridentinus XVII. labente sæculo , e  
Societate Jesu in Congregationem ingressus IN-  
NOCENTIO XII. annuente , tyrocinium Ve-  
netiis absolvit , ibidemque aliquandiu , emissis Votis ,  
pro erudiendis Alumnis nostris constitut : Fuit in Uni-  
versitatibus Dilingæ , Inglostadii , & Ratisbonæ modo  
Philosophiæ , modo Theologiæ , & Sacrorum Canonum  
Professor eximius , & postremo in Domo nostra San-  
ctæ Mariæ Magdalenæ Tridenti celebris Moralistarum  
Præfectus ; ad duodeviginti annos circiter celsissimi il-  
lius Episcopi , & Principis Consiliarius Ecclesiasticus , in  
quo munere plurimum , & singulariter in Moralibus ,  
& Canonicis disciplinis se exercuit , atq; probavit , ejus-  
que M. SS. sunt Tridenti ubi obiit anno 1720. ætatis  
suæ 69. *Canonica plura* , *Moralia non pauca* .

**P**ORRO PETRUS Novocomensis Præpositus Gene-  
ralis ab anno 1628. præclarissimæ pietatis Sacer-  
dos , qui Novitus fuit Beati Patris *EVANGE-  
LISTÆ AURATI* , maximum earum virtutum , quas  
succedentibus annis exercuit , documentum . Cremonæ  
ubi ad plures annos nempe ab anno 1614. ad 1627.  
usque , Sancti Geroldi Collegium Rector administravit ,  
Ecclesiam , Domumque non exiguis cumulavit benefi-  
ciis , & ex publica Civium munificentia legatis , an-  
nus

nusque redditibus locupletavit ; obiit ibidem Præpositus Generalis nundum suæ auctoritatis expleto curriculo , & post obitum Rocho Rhedi concivi suo graviter ægrotanti in niveo vultu , alboque indumento apparuit nonnullis stipatus Sociis , multaque cum eo de cœlestibus differuit . Ex Relat. Monfort. Medioli. in Archiv. Sancti Petri , Somasca Graduata pag. 46.

**P**OZZOLI JOHANNES BERNARDUS Genuensis quadraginta , & ultra annos Theologorum Lector Romaæ insudavit . Anno 1696. qui fuit centesimus a fundatione Collegii Clementini de Urbe , in hoc Nobilium Athenæo centenas de utraque Theologia Theses a se propugnandas exposuit , & concurrentibus , & digladiantibus per triduum eximiis Doctoribus basiliæ defendit , Infulis plane Episcopalibus non raro ordinandus , si eis animatum addixisset . Vir omnigenæ eruditioñis , & doctrinæ tam poeticæ , quam oratoriæ , tam scholasticæ , quam polemicæ : Scripsit typis Romanis Opus ingens , & magnificum prænotatum : *Rationale Romani Pontificis* in duos Tomos distinctum , quæis annexuit tertium : *De Simbolo* :

In primo Tomo agit .

*De Papatu Petri .*

*De Successione Romani Pontificis , ejusque perpetuitate .*

*De Auctoritate , & Juris-*

*dictione ejusdem .*

*De Notis Ecclesiæ Romanae , & Papatus .*

*De Papa , & Regibus .*

*De Papa , & Concilio .*

In

In secundō Tomo tractat .

*De Judice Controversiarum , & infallibilitate Papæ in Questionibus Juris .*

*De Judicio Papæ in Quæst. Facti .*

*De Dominio Temporali Papæ .*

*De Potestate Papæ circa ea ,*

*que sunt Juris naturalis , Divini , & Humanæ .*

*De mutuo honore , & utilitate inter Papam , & omnia Imperia .*

*De reliquis spectantibus ad Papam .*

Tertius Tomus adjectus secundo , sive *De Simbolo* continet Libros duodecim compendiose scriptos , videlicet :

*De Deo , Angelis , Deique proprietatibus , & Visione ;*

*De Æterna Professione Filii a Patre .*

*De Virgine , & ut Matrè Dei .*

*De Christi Conceptione , Nativitate , Vita , & Morte .*

*De Descensu Christi ad Inferos , ejusque Resurrectione .*

*De Christi Ascensione , ejusque fessione ad dexteram Patris .*

*De Quatuor Novissimis .*

*De Spiritu Sancto .*

*De Ecclesiâ .*

*De Sanctorum communione , & remissione , &c .*

*De Carnis Resurrectione .*

*De Vita Æterna .*

Raptus est Vir dignissimus Romæ intra Paschalia festa furtivo apoplexiæ iictu sub anno 1729. ætatis suæ 68. , quem ex solo nomine abunde laudaveris .

PRIOR

**P**RIOLUS HIERONYMUS Venetus cuius Animam virtutes complexæ sunt omnes , ejus meritorum fama quoquo effusa , Romam pervenit , & a CLEMENTE X. anno 1676. in Pharensem Episcopum electus est ætatis suæ 52. Ingenita sanguinis , & sensorum nobilitas , ad Patriæ decus , ad Sacrorum præsidium , & Religionis incrementum , in hoc Episcopo indivisa feliciter illuxit , felicior ipse ex religiosissimæ mortis laude , quam prope seculi XVII. metam explevit . Somasca Graduata pag. 77.

**P**RIOLUS JOHANNES FRANCISCUS & ipse Nobilis Venetus pientissimus , & eruditissimus Sacerdos ; in Ecclesia Sanctæ Mariæ Salutis Veneriarum Sacræ Scripturæ explanator , & Mysteriorum religiosissimus cultor , & præco ; anno 1669. edidit Paduae Opus insigne prænot. : *La Manna Mistica sopra la eccellenza della Santissima Eucaristia* ; necnon aliud inscriptum . *Della seconda Venuta di Gesu in trono di Maestà , e terrore per lo Divino Giudizio , per contrappunto alla prima di umiltà , e mansuetudine per la Redenzione* . Item prælo Patavino consignavit anno 1662. , 1666. , 1672. aliud Opus commendatissimum in tres Tomos inf. distributum , cui titulus : *Delle Grandezze della Beata Vergine Madre di Dio didotte dalli Vangeli di tutto l'anno , ec.* Ex nimio studio cæcutivit , sed quo obscurior oculorum acies , eo clarior sibi mentis intuitus .  
Vide inferiorius pag. 162.

RAYMUN-

**R**AYMUNDI CAROLUS SERAPHINUS Cremonensis oratorio , & poetico splendore relucens , plura literis , plura typis posterorum eruditio- ni consignavit , oratoria multa , poetica non pauca tam latine , quam italice scripta ; de que ejus nobilibus lubrificationibus honorifice meminit , & testatur Historicus Cremonensis Joseph Bressiani in suo Libello inscrip- to : *Le Rose , e Viole ad an. 1641.* quo anno demigra- vit e vivis facundissimus Orator , & elegantissimus Va- tes . *De eo Aris. Tom. 3. Crem. liter.*

**R**HEDI ROCHUS Novocomensis anno 1577. in Congregatione zelantissimus Instituti nostri ob- servator , Vocalis Comitiorum Generalium ex meritis factus , ei ex humilitate abrenuntiavit , plures in hebdomada jejunabat , in ægrotantium Novocomiis totus erat , totisque fere dies , noctesque trahebat , cor- pus suum loris flagellans , quotidie recedens a mensa , ad medianam horam in Choro orabat , & subinde a Cho- ro in cameram receptus , aliam spiritualibus lectio- nibus reficiebat , perpetuo proximorum saluti invigilans frequentissimus in Confessionibus excipiendis detineba- tur , & quos ut plurimum cœlesti lumine culpis sordi- datos agnoverat qua blanditiis , qua objurgationibus ad Sacramentum Pœnitentiae trahebat . Eximius Energumenorum Exorcista ab eorum corporibus ardentissimis precibus , & adjurationibus plures , & plures Dæmo- nes fugavit , quamobrem stygio furore perciti repetitis inju-

Q

injuriis eum affecerunt , & verberibus , præcipue ejus pietatem , & divini honoris studium mordentes . Ecclesiasticae libertatis vindex cum partes Ecclesiæ propugnaret , in Veneto interdicto carceri mancipatur multa probra , & molestias passus ; propterea rebus compositis , cum celebris ejus sanctitas , ejusque Ecclesiasticae auctoritatis zelus ad Apostolicæ Sedis aures pervenissent , variis facultatibus , privilegiis , pro foro conscientiae in toto Dominio Veneto , plenaque absolvendi , atque relaxandi a censuris jurisdictione a Papa caussa Interdicti munitur . Genuae in Suburbio ad mortem infirmatus Christi imaginem , quæ ex latere cubiculi pendebat intuens , & dígito signans , expiravit devotissime , & Johanni Baptista Pulceo ejus amicissimo adhuc ejus transitum ignorantis subalbida veste apparuit , & nunquid de Cœlo vellet sciscitatus est . Ex Archiv. Monfort. Sancti Petri Mediol.

**R**ICCIOTTI AUGUSTINUS Veneta in Cancellaria Ducali Lector publicus , & Orator eloquentissimus ex morum suavitate carus , in faciendo , & docendo absolutissimus ; in Guberniis dexter , & sedulus , omnium luctu Venetiis Patria sua obiit mense Februario a reparata salute anno 1722. Scripsit luculenter :

*De Tragœdia , & super Medæam Sænecæ.*

*Super Orationem Ciceronis pro Marco Marcello.*

*Prolytionum Libros duos .*

quæ omnia asservantur M. SS. in Biblioth. Sanctæ Mariæ Salutis Venetiarum .

RIC-

**R**ICCIUS JOSEPH Brixensis Eloquentia lectissimus Professor , Arpinatis eloquium imitatus , ejus Lucubrations nedum in Italia , verum etiam ultra montes magno Oratorum plausu exceptæ sunt . Edidit Venetiis anno 1648. Librum prænotatum : *De Bellis Germanicis Lib. X.* ab anno 1618. usque ad ann: 1648. ; item alium inscriptum : *Rerum Italicarum narrationes , quibus omnia bella , eventa , notabiles casus continentur ab anno 1613. usque ad annum 1653.* ibidem 1655. item evulgavit ibidem anno 1645. *Orationes , & anno 1655. Conciones Militares , & Senatorias .* Mortuus est Venetiis præquerente turba Litteratorum anno Domini 1669.

**R**IVA JOHANNES PETRUS de Lugano in poetica , & oratoria facultate præclarissimus , celebrioribus litterarum cultoribus notus , & gratiosus , singularem hac ætate apud nobiliores Eruditorum conventus existimationem , & laudem lucratus est , præcipue ex Poesi , de qua optime ubique meritus , digniorum Philologorum consuetudine devinctus , eorum precibus , & impulsione in variis argumentis metrice scripsit , exhibitis inter cætera jucundissimis suis theatralibus *Lucubrationibus* , quæ italis carminibus in publicam rem evulgatae sunt Bononiæ , & alibi Choro Litteratorum plaudente ; Vir multi nominis ex morum probitate , & mentis dignitate apud scribentes , insigniter tamen , & peculiariter ab eruditissimo Viro Joanne Petro Zanotti commendatur .

Q 2

ROT-

<sup>124</sup>  
**R**OTTINI GEORGUS Venetus initio XVII. sa-  
culi Congregationem ingressus , magni nominis  
Orator , & Vates tempore URBANI VIII.  
floruit . Eruditorum consuetudine nedium Romæ , sed  
& alibi delectatus est maxime , ab iis de litterarum  
cultu sœpissime consultus , cum nihil in eo desiderari  
posset quod ad optimum , perfectumque Oratorem for-  
mandum , & constituendum conferret . Plura scripsit ,  
quæ collecta leguntur in Musæo Historico , Imperialis  
Venetiis cuso anno 1640.

*Ioannis*

**R**OVELLUS CAROLUS FRANCISCUS Novoco-  
mensis noster ab anno 1661. pietatem , quam  
a primis annis in Congregatione hausit , usque  
ad senium inviolatam servavit . Episcopatum Veliter-  
nensi respuit electus ; Papiæ Regia illa in Universitate  
Sacrae Theologiae Lector publicus , & Ordinarius , ibi-  
dem Sancti Officii Consultor Ecclesiæ bono plurimum  
adlaboravit . Obiit Mediolani die 23. Augusti an: 1729.  
Comi ab eo impressi sunt anno 1669. *Plausus partim  
oratorie , partim poetice expressi eum Johannem Ambrosium  
Turrianum Episcopum Novocomensem Gymnasia nostra exci-  
perent ; itidem Oratio Serenissimo Carolo Henrico Lotha-  
ringo Principi Valdemontii supremo Mediolani Gubernatori ,  
&c. Mediolani 1699. ; item ibidem 1703. Imago Prin-  
cipis optimi in Serenissimo ut supra expressa. Somasca Gra-  
duata memor. Histor. pag. 87.*

**R**UBEUS HIERONYMUS Romanus in Collegio  
Clementino Nobilibus , in Probationis Domibus  
Novitiis , in Generali Præpositura Patribus oin-  
-  
*TOA*  
ni-

<sup>125</sup>  
nigerie virtutis exemplar ; summa diligentia collegit  
Pontificia Diplomata , & Privilegia a diversis Pontificibus  
Clericis Congregationis Somaschensis concessa , Indicibus , at-  
que Summariis locupletata . Venetiis edita anno 1665. ;  
item scripsit Volumen Sermonum italice : Migravit e  
vita Ticini Regii anno 1670. De eo Mandos. in Biblioth.   
Romana .

**R**UBI JOHANNES FRANCISCUS Venetus floren-  
tissimus in eloquio , in poeticis clarus , & in  
sacris litteris summopere versatus , intempesti-  
vus acerba morte rapitur anno 1740. cum ab eo litte-  
rarum Respubl. multum ornamenti , & profectus ex  
ejus studio , & labore sibi promitteret ; reliquit M. SS.  
*Traduzione de' Salmi in versi di vario metro Vol. unum .  
Volgarizzamento delle Opere Filosofiche di Cicerone Vol. alterum .* Obiit Venetiis prope quadragenarius in Colle-  
gio Salutis .

**R**UGERIUS FRANCISCUS Mediolanensis *Doctri-  
narum , & Scientiarum Templum suo ævo vocata-  
batur , Rhetor , Philosophus , & Theologus :*  
Theologiam ad mentem Divi Thomæ tradidit , nedium  
apud Nos , sed & apud Monachos Cistercienses ab ip-  
sis electus in Professorem ; plurimis , & præcipuis fun-  
ctus muneribus nostra in Congregatione diem supre-  
num clausit Mediolani relictis nobis suorum laborum  
testimoniis : *Declamationum Vol. duo: primum Venetiis  
prodiit anno 1620. , secundum Mediolani 1625. Vita ,  
& Gesta Divi Bassiani Episcopi Laudensis , ibidem 1633.  
Mellæa Pomeridianæ , Poemata , Elegias , Odas , & Epi-  
gram-*

grammata continentes , ibidein 1627. , item la Vita  
di D. Maria Cartarina Brugora Monaca dell' Ordine di San  
Benedetto , ibidem 1648. Transtulisse fertur eleganti stylo  
in Latinam linguam ex Hispanica : *Libros Homilia-*  
*rum Fr. Johannis de Cartagena Romano typo commisso-*  
*Picinell. in Athen. Mediolanen.*

Vide  
Pag. 174.

**S**ALVETTUS CAROLUS FERDINANDUS Veronensis absolutis Philosophiae , & Theologiæ stu-  
diis , ad Concionatoris munus animum vere apo-  
stolicum addixit , quo in ministerio adeo excelluit , ut  
redivivum Paulum quis credidisset . Tanta fuit ejus Elo-  
quentiæ vis , animi ardor , & corporis ad Apostolatum  
habitudo , ut ubi concionaretur , quisque lacrymas , & qui-  
quis e corde imo suspiria exereret ; celebrioribus in Sug-  
gestibus Parmæ scilicet , Venetiis , Genuæ ; Bononiae ,  
Militeæ , Florentiæ , Romæ Ecclesiastes ferventissimus ,  
vix fide dignum , quot palmas reportaverit ; Casimira  
Poloniæ Regina , quæ Alma in Urbe agebat , ejus fa-  
ma , & meritis ducta , ejus dictiōibus aderat frequen-  
tissima , immo CLEMENS XI. eum audiendi percupi-  
dus , quem fama loquax tot undequaque laudibus extol-  
lebat , ad se venire jussit , & in Pontificio Sacello fal-  
tem semel concionari mandavit , ne ipse unus inter tot  
ejus plausus siseret , vel Concionatoris ignarus , vel  
admiratiōis expers . Decessit suæ mortis præscius , &  
nuntius , in Collegio Ferrarensi exactis decem exerci-  
tiorum spiritualium diebus , in quorum postremo jura-

natu-

127  
nature persolvit egregiis sane suæ salutis indicis anno  
1709. die 20. Januarii . Ab Actis ejusdem Collegii .

**S**ALVIUS HIERONYMUS Romanus Alumnus Col-  
legii Clementini ad nostra Claustra transit anno  
1668. die 14. Julii , lapsu temporum exhibitis  
pluribus & virtutis , & prudentiæ signis nonnullorum  
Collegiorum administrationi præficitur , indeq; toti Ro-  
manæ Provinciæ Præses datur : A CLEMENTE XI.  
tandem Terracinæ Antistes nominatur anno 1720. In-  
fulis valedicto causatus æstatem . Obiit Romæ sub ann:  
1723. ubi dum Lector esset in aspectum dedit Opus-  
cui titulus : *Flores Philosophici* , ibidem impressum . Sr-  
masca Graduata mem. Histor. pag. 99.

**S**ANTINIUS ANTONIUS Lucensis professus ab an-  
no 1620. die 1. Januarii cum ingenio , & erudi-  
tione multum præstaret , in splendidioribus di-  
sciplinis laudate se exercuit fructu quidem non pœnitendio ; præ cæteris in Mathematicis claruit , earumque  
in Alma Urbis publico Sapientiæ Gymnasio Ordinarius  
Professor fuit sub URBANO VIII. , INNOCENTIO X. ,  
& ALEXANDRO VII. Edidit tres in Mathematicis Li-  
bellos , quorum unus inscribitur : *Supplementi Francisci*  
*Vietæ , ac Geometricæ totius instauratio* . Parisis an: 1644.  
alter prænotatur : *Inclinationum Appendix* , seu *To' Geo-*  
*metriæ . . . . . , sive replementum* , Maceratae 1648.  
neconon ibidem evulgavit anno 1651. alium , cui titu-  
lus : *Geometricæ Postliminium* . Obiit anno 1662. deque  
eo meminit *Crescent. in Prosid. Rom. Lib. 2.*

SAN:

Vide  
Pag. 197.  
et 221

**S**ANTINIUS BARTHOLOMÆUS Cremonensis agnomen suum morum sanctitate implevit, nullumque ejus vitæ momentum transiit, quod meritis, & pietatis actibus non cohonestaverit. Magister Novitiorum tyrones Religionis in christiana palæstra, & in veritate spiritus eruditivit; Diversis in Diœcesisibus Sanctimoniales colloquiis, exemplis, & Concionibus cœlesti fervore implevit; semel atque iterum Lugani Collegium administravit, & coacervatis ex recto ratiocinio quæstibus, necnon ex sanctissimo vivendi cultu collectis subsidiis, magnificum illud Divi Antonii Templo a fundamine ad dimidium excitavit. Anno 1683. mense Aprili ibidem tum Præposituram, tum corporis sarcinam summa ætate, & summa sanctitatis opinione depositus. Reliquit M. SS. plurima ad Theologiam Mysticam spectantia, cœlestibus doctrinis condita. Ab Actis ejusdem Collegii pag. 27., Somasca Graduata mem. Hist. pag. 84.

**S**ANTINIUS FRANCISCUS ex stemmate Nobilis Lucanus, ex merito Civis Genuentis, Vir ornatusimus, præclaris animi, & corporis dotibus intus, & foris abundavit. Probus æque, ac doctus, ex doctrinæ, & sanctimoniae tama Genuæ ubi fere totam vitam transegit summae venerationi fuit, & jure quidem cum omnibus omnia fieret, animarum Ductor, Doctor, Solator, & Medicus. Nobiles ibidem utriusque sexus, atque Sanctimoniales, omnesque hi quorum spiritualis Præfectus, ad puriorem vitæ lucem, & singularē virtutum praxim ipso Ductore perducti sunt. Pluribus in Congregatione muneribus magna cum laude perfunctus modo Præpositus, modo Consiliarius, modo

modo Visor, ejusdem Congregationis de anno 1689. non impari lætitia ad supremam Præposituram evectus est, singulis ad majora perfectionis studia suo exemplo, observantia, caritate non sicta excitatis. Laboribus fessus, defessus viribus jam septuagenarius, animam Deo reddidit inter Religiosorum Coetum, & lacrymas Genuæ 19. Maii anno 1697. dignus plane mercede sua Operarius, petitis, & receptis eadem nocte Sacramentis, qua ingeminatis vocibus dictitabat: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*, quem vere ore, corde, & animo ferebat. Ejus corpus in capsula inclusum in nostro Sarcophago fuit honorifice conditum. *Ab Actis ejusdem Collegii pag. 27., Somasca Graduata mem. Hist. pag. 84.*

**S**ANTINELLUS STANISLAUS Venetus, viridi ætate in publico *Salutis Venetiarum Gymnasio* Eloquentiæ Professor, maturis annis Procurator Generalis, Præpositus Provincialis inter Venetos, & Commissarius Apostolicus in tota Congregatione, regularis disciplinæ religiosissimus custos; Venetiis Académie Nobilium ad *Litus Auctor*, & Prothorector, adhuc in ancipiis est num pietate, an doctrina sit dignior. Ejus editiones sunt: *Stanislai Santinelli Orationes, Epistole, & Carmina*. Venetiis 1734. Ejusdem *De Romanorum Veterum Nobilitate*, ibidem 1717. Ejusdem italice scripta *La Vita del Vener. Servo di Dio GIROLAMO MIANI Fondatore de' Chericì Regolari di Somasca*, ibidem 1740., necnon *La Vita del Vener. Francesco Franchetti C. R. S. Romæ 1727.* Obiit die 8 Nov. 1748. aet. an. 77.

*Epiſtola VII. decumpta eſe ēditione Veneta 1734. De ſecere moneta Veneta, vulgo (Matapano) vocata, reimpressa ſunt in To. I. de monetis Italie Argelati, pag. 297.*

**S**AVAGERIUS ALOYSIUS Romanus ab an: 1704.  
die 5. mensis Octobris professus , studiis Philosophiae , ac Theologiae laudatam operam navavit , quibus absolutis ad magisterii labores transit . Praepositus inde semel , atque iterum in Collegio nostro SS. Nicolai , & Blasii de Urbe , Vir non vulgaris dexteritatis pluries a Romanis Proceribus ad Aulam Cæsaream ad momentosa expedienda negotia missus est , quibus felicibus avibus expletis , Azoti Antistes , & Coadjutor Episcopi Guerra Alatrensis in Campania anno 1728. a Sanctissimo Papa BENEDICTO XIII. adlectus est , cuius Episcopatus possessionem proprietario jure iniit anno 1729. quemque anno 1744. in manibus BENEDICTI XIV. liberè dimisit , & resignavit . Pastor coactus ob Ovium simultates , odia , & criminationes , honestissimorum virorum vices expertus , quibus invidae , cæterorumque vitiorum virtuti obtrectantium malignitate subjectantur .

Vide  
Iug. 179.

**S**COPA JOHANNES BAPTISTA Laudensis , Vir poeticis artibus sæculo elapso clarissimus , & suorum temporum laudibus major , Comitem Franciscum De-Lemene commendatissimum inter Musas , in utraque Poesi eruditivit ad lyram ; quod satis sit ad ejus magnificam laudem . Habentur ejus Lucubrationes latine sub titulo : *Lacrymæ in Funere Clementis Gerræ Episcopi Laudensis* anno 1643. , italicæ vero sub titulo : *Poesie dimestiche , e Postume* ; amicorum studio Belluni evulgatae anno 1697. migravit e vivis Laudi anno Domini 1692.

SCOT.

**S**COTTUS JOHANNES Brixiensis , mirandis profecto virtutibus ornatus , adeo sacrarum litterarum , & rerum agendarum peritia floruit , ut Nicolaus Sfondrati Cardinalis , & Episcopus Cremonensis ab eo in suo Pastorali regimine ne latum quidem unguem discesserit . Fertur solo aspeetu impiissimum . Hæreticum ad Ecclesiam revocasse fixis in eum , retortisque oculis . Observantissimo erga B. V. cultu æstuans , eam perpetuo ferebat in oculis . Inter cæteras virtutes quibus redundabat , caritatis , humilitatis , atque patientiæ radiis præfulsit , gravissima alapa injuriatus a nequissimo homine , eam nedum christiane , & religiose passus est , verum enixe omnem lapidem movit , ut inulta offensione ab utroque exteriori foro impunitus percussor dimitteretur . In Domuncula Sancti Geroldi Cremonæ infirmatus ad mortem identidem repetebat : *Cupio dissolvi , & esse cum Christo* : Morituro adstitit sapissime prædictus Antistes , & mortuum amarè levit cum Populo ajens : *Se Diœcesis suæ fulcimentum , Congregationem Somaschensem firmam Columnam , splendidissimum vero lumen Cremonam in uno Scotto amisisse* : De anno 1574. , & de anno 1585. bis Praepositus Generalis totam Congregationem meritis , honoribus , exemplis illustravit , & post obitum suum ejus conditorum gratiis , favoribus honestatum est . Scriptit ejus vitam Gregorius Bulzius , quæ M. S. asserv. in Bibliotheca Montfortiana Sancti Petri inter Codices Patris Sementii , necnon de eo meminit Merula in Sancti patr. Cremonen. Capit. 92.

R 2

SEMIN.

**S<sup>132</sup>EMENTIUS JOSEPH HIERONYMUS** Cremo-  
nensis natus anno 1645. die 11. mensis Septem-  
bris Vota nostra emisit an: 1664. die 18. Maii,  
Orator , Vates , Philosophus , Theologus , Chronolo-  
gus , & Mathematicus , fere omniscius , citra invidiam  
celebris . Anno 1692. die 20. Martii ab Aula Matriten-  
si regnante Carolo II. pro sua Catholica Majestate in  
toto Dominio Mediolanensi Chronista deputatur : Ex  
Decreto Mediolanensis Senatus Cathedræ Theologicæ in  
Ticinensi Universitate præficitur : Præfationes , & Theo-  
logicas Thomisticas , & Scotisticas Lectiones , omnes  
sicut in fonte repertas ostendebat in Salomone , cuius  
Oracula in manibus habebat , quamvis extemporaneus  
loqueretur . Elegantioribus formis , ac imaginibus or-  
natum edidit Librum Mediolani 1686. , cui titulus : *Il  
Mondo creato diviso in sette giornate Poesie Mistiche* , ec.  
item ibidem 1689. *Rettorica sacra tratta dalle massime  
e dottrine del sapientissimo Salomone disegno dell'opera* , ec.  
Tanti operis M. S. ad numerum viginti , & ultra Vo-  
lumen servantur Mediolani in Bibliotheca Sancti Pe-  
tri Monfortiani , in qua etiam asservantur ejus *Historica  
monumenta ad Somaschensem Congregationem spectantia* ,  
quæ ad exactam ejusdem Congregationis Historiam con-  
cinnandam collegit quamplures Tomos completura ,  
sed ab apoplexia correptus ad triennium , non potuit  
perficere . Scripsit sub eodem prælo 1693. *Pensiero Sto-  
rico per il Ducato di Milano* , item 1700. *Dell'origine  
miracolosa della celebre Immagine della Madonna presso San  
Cefso* , già descritta da Paolo Moriggia , riconosciuta , ed  
illustrata da varie cognizioni , e di molte annotazioni , ec.  
neçnon Tarvisii eodem anno ; *Saggio della Vita del Ve-*

**133**  
nerabile Servo di Dio **GIROLAMO MANI** , ec. evulga-  
vit etiam Mediolani anno 1687. *Il Canto del Ringrazia-  
mento a Dio Creatore , e Redentore del Mondo per gli au-  
venimenti felici delle Armi Cristiane nella Ongheria , e Mo-  
orea* , ulterius : *Il Salmo 67. per Vienna liberata an: 1683.*  
& nonnullas Notas ad Homiliam Sancti Laurentii Mar-  
tyris Novariensis impressas Venetiis 1712. apud Ephe-  
merides Litteratorum Italiæ Tom. X. Art. 5. Ex ma-  
nuscriptis habentur in Bibliotheca Monfortiana Medio-  
lani Sancti Petri : *Parafrase delle sacre Cantiche . Rago-  
namenti Morali per gli Oratori di Quaresma . L'Avvento  
recitato nel Duomo di Milano . Appendix Athenæo Abb. Pi-  
cinell. Litteratorum Mediolanensium . Corollarium Sementia-  
num Musæo Novariensi . In Plinii naturalem Historiam Po-  
stilla marginales . Descriptio Cartusia Ticinensis . Variae  
Orationes Panegyricæ . Egregius , & eruditus Vir obiit  
in prænarrato Collegio Monfortiano die 2. mensis Apri-  
lis anno 1706. laudatur a doctissimis Viris Carolo Ma-  
ria Maggio , Comite Francisco Lemene , a Leonardo  
Cominello , Ariasio , & pluribus aliis .*

**S<sup>EMENTIUS JOHANNES FRANCISCUS</sup>** prædi-  
Frater solemnia Vota nuncipavit in Patria anno  
1677. die 3. mensis Augusti inter Mathematica  
studia , quibus addictus erat , Musas latinas ferebat in  
oculis . Scriptis Vir singularis pietatis , & doctrinæ in  
sacris argumentis non inconcinnum *Epigrammatum* , &  
*Elegiarum* Volumen puto servatum in Bibliotheca no-  
stra Monfortiana Mediolani , de quo Testis de visu Ari-  
sius Juris Utriusque Doctor in 3. Tom. suæ Cremonæ  
literatæ . Brevem , sed piissimam vitam longo morbo  
defa-

defatigatam patientia , caritate , humilitate , præcipui-  
que virtutibus coronavit anno 1690. die 6. Junii , &  
sepultus est in Ecclesia Sancti Geroldi Cremonæ .

**S**ERRA CONSTANTINUS Genuensis emenso in  
Congregatione studiorum curriculo , ad grandis  
aptus , Purpuratis gratus , observantiae regu-  
laris tenax , cum Romæ Propræpositus in Collegio SS.  
Nicolai , & Blasii esset , Naulensis Episcopus florenti in  
ætate a Sanctissimo Papa CLEMENTE XII. creatur an:  
1737. , & Gregem sibi ad Oram ligusticam commissum  
feliciter regit in præsentem usque diem . *Somasca Gra-  
duata memor. Histor. pag. 108.*

Vide  
Pag. 119.

**S**IGNORIS CAROLUS Ligur in Congregationem  
receptus ab anno 1731. ex Lectore sacræ The-  
ologie in nostro Collegio Sanctæ Mariæ Secretæ  
Mediolani , ad regendam , administrandamque in Civi-  
tate Januensi Divæ Mariæ Magdalena Paræciam Pastor  
solers amandatus est sub anno 1741. In hoc munere  
ejus caritas , fedulitas , & pietas floruit constantissime ,  
& nunc etiam refloret . Eruditione , & eloquio in Sug-  
gestis laudatus , in utriusque Theologiae Cathedris sub-  
tilitate , ac doctrina laudatissimus scripsit expolite Librum ,  
seu Tractat. *De Gratia* , in quo ad amissim convenit  
*Theologia Jesuitarum cum Theologia Pauli Apostoli : De Di-  
vina Gratia* , necnon *Sistema Ambrosii Catharini de ea-  
dem Gratia , modestius exponitur , atque pænitius illu-  
stratur : Tractatus iste ardenter a Doctis in lucem ex-  
petitur .*

SON-

22. **S**ONSIS AUGUSTINUS MARIA Cremonensis in  
utraque Poesi eleganter exultus , & in literis lati-  
nis , italique polite elegans , celebrioribus Littera-  
torum Academiis adscribitur , & præsertim inter patios  
Cremonensis Coloniae Arcades sub nomine *Egaldi* . Ex  
politioris litteraturæ merito , Humaniores litteras Ro-  
mæ professus , Ferrariæ Episcopo accersitore Oratoriæ  
Artis in Seminario Episcopali Interpres præficitur . In-  
didem alio , & ad alia amandatus , tamen Minervæ ,  
& Apollinis indefinenter merens stipendia , exhibuit ,  
exhibetque quotidie plures *Poeticas Elucubrationes* in Mi-  
scellaneis impressas . *Arisus in Tom. 3. Crem. liter.*

**S**ORMANUS PAULUS ANTONIUS Mediolanensis Vide  
Pag. 218.  
non interitiræ memoriæ Vir Congregationem ,  
quam professus est anno 1645. die 17. Septembri  
voluentibus annis meritis , præconiis æque , ac honesta-  
te implevit : Facundissimus Orator , & ferventissimus  
Evangelii Præco , sive e rostris diceret , sive declama-  
ret e Suggestibus , Ethologus quidem amplam , sed mi-  
norem semper meritis suis , assecutus est commendatio-  
nen : Bis Præpositus Generalis pietate , prudentia , at-  
que vigilautia indefatigatus Pastor Ovium suarum pa-  
stionibus sedulo incubuit , immo in Pastorali ipso regi-  
mine Mediolani obiit anno 1697. nocte postrema Men-  
sis Julii . Ejus Conciones Quadragesimales fuerunt re-  
positæ in Bibliotheca Collegii Sanctæ Mariæ Secretæ ,  
vulgavitque typis Mediolanensis italicam Orationem  
in die festo Divi Antonii , cui tit. : *Li Vaticinj* 1668.  
aliam in laudem Divi Dominici prænotatam : *Il Colosso* ,  
aliam in solemnitate Divi Cajetani inscriptam : *Il Sa-  
crifi-*

*erifizio ; necnon italam fecit ex gallico Orationem Funebrem in obitu Mariæ Theresiae Austriacæ Gallorum Reginæ.*  
1685.

**S**OZI CARAFA ALPHONSUS Beneventanus in Collegio Clementino Theologiæ Professor non infimæ notæ , & in eodem subinde Rector diuturni temporis , eam existimationem sibi comparavit Romæ ex doctrina , & prudentia , ut anno 1743. Infulis Episcopibus Vici Aequensis in Campania felici fuerit inauguratus mense Julio ; coram Pontifice Max. BENED. XIV. , ut moris est , examinatus in Theologia Dogmatica tam erudite se gessit , & respondit , ut Papalibus laudibus fuerit dignatus . Bonus Pastor Oves sibi creditas ad æterna pascua irrequietus dirigit . *Somasca Graduata memor. Histor. pag. 101.*

**S**PAUR FRANCISCUS Tridentinus ab anno 1571. Præpositus Generalis , Evangelicæ perfectionis exemplar : Summo Pontifici PIO V. carissimus , in Orphanorum cura sollicitus , in abjectioribus ministeriis eis inservivit quam promptissime , eos in virtutibus christianis , & pietate instruens præcipue . Cum alter horum perpetuo in cruribus morbo laboraret , signo crucis facto super illa quamprimum , seu intra triduum sanum reddidit . Romæ Præpositus , sæpiissime septem Basilicarum visitationem instituebat , & dum oraret cum Deo colloqui , & Angelis auditus est , a quibus & perspicue sibi respondebatur , *sicut solet loqui homo ad amicum suum* . Ei. 33. Ibidem ex sui contemptu , & dejectione insigniter per antonomasiam : *Humilis Dei Servus*

*vus a Romanis vocabatur : Meditationes suas ad plures horas protrahebat , & flagella : Christophorus Madrutius Cardinalis Episcopus , & Princeps Tridentinus ad suffraganeas sui Episcopatus Infulas coegit , quas recusavit . Propheticò tandem dono ornatus hanc vitam cum æterna commutavit Romæ XVI. vertente sæculo . De eo Stella Lib. 3. in Vita Hieron. Emil. , Ruger. in Epist. ad 2. Volum. Declam. , Somasca Graduata memor. Histor. pag. 16.*

**S**PERANZIA HYPOLITUS MARIA Cremonensis Sacrarum Doctrinarum Professor , & singularis pietatis Sacerdos , ad cuius laudem amplissimam sufficiat Novitium olim fuisse Ven. Patris Evangelistæ Dorati , qui eum privilegio amoris præcipui inter cæteros prædilexit in Collegio Suburbano Genuæ , in quo Religionis Tyrocinium absolvit . Scripsit sub an: 1628. italice *Historiam de vita , gestis , & miraculis ejusdem Venerabilis Evangelistæ Dorati* , quæ M. S. asservatur in Collegio Cremonensi Divæ Luciæ ubi obiit circa annum 1640.

**S**PINOLA AUGUSTINUS ex Marchionibus Arquati ingressus Congregationem an: 1693. Cal. Octob. , vel a primis adolescentiæ annis eximia probitatis , & mentis dedit specimina ; absolutis Romæ studiis sine mora Philosophiæ , mox Theologiæ Lector constituitur . In Domibus , & Collegiis modo Præses , modo Rector , modo Præpositus , & Vice-Procurator Generalis assumitur . In Mediolanensi Legatione ad Carolum III. Hispaniarum Regem , & Imperatorem ele-

Vide  
Pag. 190

S

*Obiit declinante anno 1755 aetatis annorum 79.  
Cui a Benedicto P.P. XIV. sufficitus fuit in Episcopatu  
P. D. Octavius Marii Pennenij Patriitus , in Collegio Cle-  
mentino Theologia Lector , mense Novembrio ejusdem  
annii , aetatis annorum 56.*

etum Barcinone redeuntem Cardinalis Joseph Imperialis in Theologum suum eum ascivit anno 1711. A CLEMENTE XI. die 30. Martii de anno 1716. Adiacensis Ecclesiaz in Corsica Pastorali ornatus celebrissimam Synodus evulgat 1719. INNOCENTIUS XIII. ad Episcopatum Savonensem transfert anno 1722. die 22. Septembris. Libertatis, & Immunitatis Ecclesiasticæ assertor, & Vindex magnificis litteris in forma Brevis datis, a BENEDICTO XIII. sub anno 1725. die 20. Junii de meliori nota commendatur, & extollitur. Edidit Mediolani anno 1738. Volumen Sanctorum Patrum Doctrinis, Pontificum Constitutionibus, & Sac. Canonum sanctionibus ditissimum inscriptum: Augustini Spinola Episcopi primum Adjacii, postea Savonæ Constitutiones pro Seminario Episcopali Civitatis, & Diœcesis. Deo Ughell. Ital. Sac., Somasca Graduata memor. Histor. pag. 93.

**S**PINOLA JOHANNES BAPTISTA qu. Dominici Filius Genuensis, Humanae Philosophiae, & Divinæ Theologiæ præstantissimus Explanator, Genuæ in Sanctissimo Inquisitionis Officio Consultor, Examiner Archiepiscopal, Serenissimæ Reipublicæ Theologus ex Decreto Senatus, supra fidem est quanta eruditio spinosas de Immunitate, & Libertate Ecclesiastica controversias modo publice, modo privatim enucleaverit ad opportunitatem: Ingenii sui nulla typis monumenta evulgavit contentus eo nomine, quod ex scientia non ex prælo assequeretur, egregia tamen suæ doctrinæ insignia in omnium animis impressa reliquit nunquam delenda. Vir consultissimus obiit in Patria. 19.

Januarii 1668. summo totius Civitatis luctu, & tenerissimo omnium sensu, qui ex ejus meritis idonei sunt facti, ut ea vel narrando laudarent. Vid. Lib. Act. Colleg. Genuen. pag. 140. sub anno 1668.

**S**PINOLA PHILIPPUS ex Marchionibus Arquati Philippini, & Faustinæ Auriæ Filius, Neapolii, & Romæ Philosophiæ, & Theologiæ Professor solerti ingenio ornatus: In Sanctissima Universali Romana Inquisitione Theologus Qualificator. Episcopi Mantuani Fr. Massei Vitalis ex Ordine Minorum de Observantia Renuntiarius, opera, & industria excellentissimi ejus Genitoris in Mantuano Dominio mortuo Duce Carolo Gonzaga Vicarii, & Locum-Tenentis. Cum esset Neapolii, Julio Spinolæ Archiepiscopo Laodicensi Nuntio Apostolico summe carus, ei anno 1660. dicit Opusc. Philosophiæ Rationalis, quo anno edidit etiam aliud Philosophiæ Naturalis: Laudatur inter Scriptores Ligures a Sopranis, Romæ obiit sexagesimo septimo circiter supra XVI. sæculum.

**S**PINOLA ALBERTUS natus Genuæ circa annum 1589. Meliaducis Filius, Vir ob eximiam ejus facundiam omni ævo laudandus, cuius fama adhuc, prope est ut dicam, strepunt celebriora Italiae Suggesta, Tarvisii præsertim ubi an: 1624. tanto in Ecclesia Cathedrali plausu, & frequentia concionatus est, ut alii Concionatores a Dictionibus sacris abstinerint, cum ad eum audituri omnes cujuscunque gradus, status, & ætatis cumulatissime, & turmatim confluenteret, quod nostris testati sunt Canonici Lateranenses dum co-

149

dem anno Placentiam ad Comitia celebranda Tarvilio convenissent . Genuæ bis Præpositus an; 1616. & 1625. In Gallia Cisalpina Vistor , in Comitiis Definitor , & Consiliarius , Eloquentiam sine fastu , rectam animam sine simulatione , munera , & dignitates sine tumore obivit , ostendit , exercuit . Cum publici juris fecisset Italica lingua Orationem de Concordia in Reipublica conservanda coram Serenissimo Genuensum Duce Bernardo Claverizza Genuæ impressam anno 1615. migravit e vita an secundo supra Sexagesimum sæculi decimi septimi . In Ligurum Scriptores reponitur a Michaele Justiniano , & Raphaele Sopranis .

**S**PINOLA PAULUS MARIA ex Patritio Genuen sium ordine in Congregationem receptus anno 1636. Concionator celeberrimus , insimul egregius Sacrae Doctrinæ Professor , & SS. Canonum cultor , Eminentissimi Donghi Theologus , morum candore verius , quam oris Angelus , maturitate supra æatem , innocentia supra fidem prædictus Sagonensis Ecclesiæ Sedem obtinuit ab ALEXANDRO VII. mense Decembr. anno 1657. sed præpropera morte hominem exiit sub anno 1658. mense Augusto Genuæ , cum sedisset tantum menses octo in Episcopatu : *De eo Ughell. Ital. Sac. Tom. 3; pag. 522.*

Vide  
Pag. 180.

**S**PINOLA STEPHANUS Orbi universo notus ingenio , pietate , & singulari litterarum eruditione : Romæ Sanctissimæ universalis Inquisitionis Qualificator , Sacrae Indicis Congregationis , necnon aliarum Consultor , In Urbano Collegio De propaganda Fide Gene-

141

Generalis Studiorum Præfector , & in Genuensi Universitate Grimalda Philosophiæ Moralis Professor , Cardinalis Flavi Chissi in Gallica Legatione Theologus : Episcopus Savonensis ab ALEXANDRO VII. die 15. Decembris 1664. Ecclesiam Sabatiensem sibi impositam laudabiliter rexit usque ad annum 1682. , quo excessit e viuis : Scriptus : *De prudenti , & libera agibilium electione in Moralibus* , Genuæ 1648. *Novissimam Philosophiam* , *Summulas* , *Logicam* , & *Libros Physiconum complettentem* , ibidem 1651. *Commentaria in Libros Metaphysicorum Aristotelis* , ibidem 1650. *Theologiam Scholasticam* , Papiæ 1681. , item Genuæ 1650. *Prælectiones habitam in solemni Philosophiæ Moralis auspicio in nova Universitate Grimalda* , necnon cecinit *Epigrammata multa latina* , & *italica ex Biblioth. Aprosiana* .

**S**TAMPA JOSEPH MARIA Grabedonensis noster ab anno 1684. modestæ scientiam , scientiæ pietatem adjunxit , sive Poetam , sive Oratorem , sive Historicum , sive Mathematicum ageret in unoquoque excelluit . Amplam ejus eruditionem exhibent prodita ex Bibliopoliis Mediolanensibus : *Exercitatio Academica* , *Oratio* , *Elogia* , & *Carmina in commendationem Petri Marini Sormani Episcopi Viglevani* , Somaschiæ Patribus in Seminarii regimen vocatis anno 1697. *Organum Academicum* , sive *de corporis proceritate , ac paruitate* 1699. *Ludus serio expensus* , necnon ejusdem de *Arithmetica progressionis Tractatus* , in quo præter alia scitu digna , de quantitate discreta , tota resolvitur combinatoria 1700. *Acta Beati Mirri Heremitæ* in duas partes discreta 1723. *Epigrammata Sacra* , & *Profana cum Notis* 1727. *Notæ* , & Com-

*Commentaria in Fastus consulares sironii* 1732. *Decas  
tertia Annalium Novocomensium Primi Aloysii Tattis a-  
mendis purgata, cum notis, & additamentis* 1735. *Obiit  
Mediolani in Collegio Monfortiano mense Octobri tri-  
gesimo quarto supra septingentesimum.*

Vide  
Pag. 212.

**S**TASSANUS JACOBUS MARIA Ligur, Vir pie-  
tate, & doctrina exultus, de nostro Ordine,  
optime meritus, pientissimus Sacerdos instituit  
Cremonæ Societatem Mortis an: 1567. pro ultimo sup-  
plicio affectis, in præsens Divi Hieronymi nuncupatam,  
& a sui prima Institutione usque ad annum 1619. a.  
nostris directam: In Archivio ejusdem Confraternitatis  
plura asservantur, quæ ad ipsos Confratres luculentissime  
scripsit, quorum exemplaria exscripsit Ignatius  
Tadisi C. R. S. custoditque in Musæo suo. Cæterum  
Stassanus præter dicta scripsit: *De lacrymis, & amoro-  
so plantu Beatæ Mariæ Virginis super Passione, & Morte  
Filii sui*; necnon *Flores Orationum ex variis, sacrificisque  
Scripturæ locis collectos*, Mediolani 1609. Maracc. in  
Biblioth. Mariana, *Sopranis in Elencho Ligust.* de eo me-  
mimere.

**S**TELLA ANDREAS Venetus Præpositus Genera-  
lis de an: 1607. cum Theologico-canonicæ eru-  
ditionis laude supra cæteros sua ætate emineret,  
*Monstrum Dei* vocitabatur. Vicentiae in Episcopali Au-  
la publice Theologiam Moratam magno sui nomine  
prælegit. Coram CLEM. VIII. summo Venetiarum  
Senatu, & Sabaudia Duce honorifice concionatus est.  
Michael Priolus Vicentinus Antistes in Dalmatiæ Visi-

tator

tator Apostolicus allegatus eum sibi Socium, & Theo-  
logum adscivit rerum agendarum peritia singulariter  
præditum. Obiit anno 1613. Ejus scripta exhibentur.  
*De Vita Beati HIERONYMI ÆMILIANI*, *Conciones Qua-  
dragesimales*. *Conciones de Tempore*. *Sermones de Oratio-  
ne in Librum Hester.*

**S**TELLINI JACOBUS probatissimorum Virorum Ca-  
noni adscriptus, ejus merito, & virtute impellen-  
te ad Ethicorum Cathedram in publica Patavina  
Universitate, ex Somaschis Protholector promotus est  
in qua *Ethices Lectionibus* præmisit solemniter *Oratio-  
nem Sapientum florentissimis laudibus ornatam*, editam  
ibidem anno 1739., necnon evulgavit Venetiis anno  
1740. Opus elegantissimum, & eruditissimum: *De or-  
tu, & progressu morum.*

**S**TEPHONIUS FRANCISCUS Sabinus initio XVII  
sæculi admissus ad Congregationem, jugiter ab in-  
genio, & studiis fuit commendatus, in dicendi  
facultate singularem, cum in Collegio Clementino de  
Urbe oratoriæ artis Interpres esset, laudem est prome-  
ritus; ibique Orationem, quam habuit an: 1642. edidit  
sub titulo: *Iris Cœlestis*. Fuit quammaxime eruditus,  
quammaxime eloquens, ut Romæ a Purpuratis Patri-  
bus, & Prælatorum sapientissimo. Cœtu inter doctissi-  
mos, qui tunc temporis viverent, Viros adnumerare-  
tur. Obiit in Urbe sub Pontifice INNOC. X., quo se-  
dente plures habuit *Academicas Exercitationes* in Colle-  
gio prædicto, de quibus nonnunquam Sanctiss. Ponti-  
fex ipsi est gratulatus.

STRA.

**S**TANIUS LUDOVICUS Insuber Alexandrinus, dignissimus Congregationis Sacerdos, tanta erga infirmos caritate flagrabat, ut eorum sanitati intentus propriam negligeret. Pro ægrotantium famularu, & cira, informes identidem noctes trahebat excubitor caritatis. Pœnitentiarum avidissimus se inter paleas dormiturus componebat, nec somnum noverat dulcitus, aut commodius capere, quam inter glutinas, & spicas. Iteratis per hebdomadem jejuniis legi mentis suæ legem aliam in membris repugnantem lacrymis delebat, & corpus peccati (concupiscentiam vocant) flagellis destruebat, & catenulis devinciebat. Victoriarum triumphis onustus Athleta, meritorum suorum palmis coronandus in Cœlum evolavit. *Ex Archiv. Mediol. Sancti Petri Monfortiani.*

**S**TRATA FRANCISCUS Venetus, Sacerdos eximiae dexteritatis, & litteraturæ non imparis, in Patriarcali Venetiarum Seminario semel, atque iterum Rector, sub INNOCENTIO XII. Crapulensis Antistes dicitur anno 1698., sed vix accepto Electionis nuncio fato rapitur postridie Nonas Octobris ejusdem anni, sepultusque est in Ecclesia Sancti Cypriani de Muriano cum hac brevi Epigraphe.

D. O. M.

P. D. FRANCISCUS STRATA C. R. S.

Hujus Seminarii Rector, & Episcopus electus Crapularum

Obiit 1698. ætat. 49. Oct. Idus Octobr.

TAB-

**T**ABBOR ALEXANDER Romanus e sæculi curis, cum Medicinæ Doctor esset, ad Clastra Somâschensia, eorumque tranquillitatem Deo vocante transfertur. Apud Nos Theologus, & Verbi Dei Praeco eximus: Vultus suavitate omnibus carus, morum dulcedine omnibus carissimus. Nunquam iratus visus est, si forte in quem verbum non omnino dulciorum protulisset, non sero flexo genu ab eo humilime, vel Superior veniam petebat; Christianæ caritatis laude adeo celebris, ut ad eum tanquam ad malorum Vindicem universi configerent. Erga Passionem Domini, ea animi teneritudine afficiebatur, ut quoties sub Missâ, majori in hebdomada eam perlegeret, toties in lacrymas, & suspiria effunderetur. Primis annis a XVI. sæculo Romæ ab humanis eruptus Cœlo inseritur, relicto nobis suarum virtutum, & sanctitatis odore. *Ex Tabul. Monfort. Sancti Petri.*

**T**ADISI IGNATIUS Cremonensis Militiae nostræ adscriptus anno 1700. Rhetoricas Institutiones traxit, Concionatoris munus exercuit. Inter Arcades Romæ *Triphilus Codinus*, Coloniae Cremonensis unus ex Fundatoribus: In Patria Cathedralis Ecclesiæ Pro-Theologus; in Curia Episcopali Examinator, & in Sancti Officii Tribunal Consulter; scripsit quamplura in varios Tomos distributa, quæ lucem expectant; præcipua sunt vulgari sermones: *Quaresimale. Panegirici sacri. Lezioni Teologiche, sive Orationes Testamen-*

T

menti Veteris expositivæ , quas habuit Cræmonæ in Ecclesia Cathedrali per quadriennium . Lezioni Morali sunt 50. Conciones de virtutibus , & vitiis . La Buona Morte sunt 22. Conciones disponentes ad bene moriendum . Discorsi del Purgatorio , videlicet 30. Sermones suadentes pietatem erga Animas Defunctorum . Sermoni Morali , idest 34. Sermones familiares ad christianæ vitæ institutionem . Pensieri predicabili Tom. I. in fol. Trattato delle Monete storico , economico , e teologico . La causa della Beatificazione del Ven. Padre GIROLAMO MIANI descritta , e distinta in cinque parti , ec. Centone Storico del Collegio di Sant' Antonio di Lugano . Del Collegio di Santa Lucia di Cremona . Del Collegio di San Gerolmo della medesima Città . Frammenti storici del pio luogo degli Orfani di Cremona . Latiali vero Sermone conscripsit : Consulta Theologica , sive Resolutiones Casuum Scientiae . Pedagogiam , sive de Rhetorica , & Poetica pratica , & speculative consideratis . Carmina , Epigrammata , Elegias , Eclogas , Poemata , & genus quodlibet Lyricorum complectentia . Elucubrations Metametricas , videlicet : De Poesi figurata se supra Metricam erigente . Excellentiam numeri Ternarii , in quo libro ostenditur omnes Scientias , & Artes Liberales in Sacros. Trinitatis Mysterio fundari . Discursum Moralem de probabilitate opinionum , in quo firmissimis animadversionibus benigna sententia robatur . De erudito Viro meminit ARISSUS in 3. Tom. Crem. literatæ edito 1741.

Vide  
pag. 221.

**T**ATTI PRIMUS ALOYSIUS Novocomensis omnigena prope eruditione excellens : Comi præclarissimi nominis , & pietatis , Sancti Officii Consultor.

sultor . Vocalatum ab INNOCENTIO XI. sibi oblatum humilime recusavit , translato , ipso precante , co-mitiariæ vocis jure in Flamminium Gaggi Civem , & amicissimum suum . Doctioribus Viris , qui sua ætate in humanis agebant mutuis Epistolis datis familiariter usus est , Daniele Papebrocchio in Belgio , Gabriele Bucellino , & Defendantे Lodi in Italia . Ex hac vita demigravit Novocomi anno 1687. die 15. Februarii . Scriptit , & impressit Historiam Novocomensem in tres Decades discretam ; in quarum prima comprehenduntur eventus tam Ecclesiastici , quam Seculares ejusdem Civitatis ab hujus Fundatione usque ad an: salutis 888. ; in secunda ab an: 888. usque ad an: 1300. ; in tertia ab an: 1300. usque ad ann: 1582. , cui tertiae Decadi accedit Appendix usque ad an: 1598. purgatis mendis , additis Criteriis , & observationibus per Josephum Mariam Stampam Mediol. anno 1735. Edidit etiam Comi anno 1675. Sanctuarium , seu Martyrologium Sanctæ Novocomensis Ecclesie ; Opus ad augendam Dei , & Sanctorum ejus gloriam fidelissime elaboratum tum ex M. SS. Codicibus , tum ex probatis Auctoriis ; notificatis ad calcem Reliquis , & sacris Corporibus Sanctorum , quæ in prædicta Dicœcisi coluntur , adjectis subinde Cronologicis , & Historicis Criteriis . Itidem ibidem anno 1676. evulgavit : La Fedeltà coronata , o sia la Vita , Morte , e Traslazione di S. Fedele , e suoi Compagni ; necnon anno 1677. L'Umiltà esaltata , o sia Vita di San Gioanni Oldrati detto da Meda Sacerdote , e Propagatore dell'Ordine degli Umiliati , ec.

**T**ERZANUS ANDREAS & ipse Novocomensis, rigidissimæ disciplinæ, & regularis observantiae exactissimus Custos, moribus Ecclesiasticis, & Apostolico spiritu plenus, Venetiis in Clericos quam perfecte eum infudit, proindeque Laurentius Priolus Cardinalis, & Venetorum Patriarcha in ejus laudes effusus dixerit: *Absit, Bone Deus, quod Seminarium Nostrum unquam ab aliis, quam a Somaschis instituatur, cum tam copiosa ex eorum diligentia, exemplis, & educatione optimorum morum messe redundaverit.* Præpositus Generalis creatus anno 1599, ad invisaenda Ordinis Collegia pedestre cum baculo incedebat: Genuam ex improviso perventus, usque ad Subuculam madefactus, statim Ecclesiam adivit, & ibi ad semihoram, ut ejus moris erat, oratione protracta, in quo constituit genuflexus, solum affudit. Semper valetudinarius ex rigore paenitentiarum, & assiduitate laborum, Generalatui, cui se imparem ex humilitate fatebatur renuntiavit anno 1601. Tandem Vir probus, & in Lege Domini plane eruditus quoddam Opusculum spirituale, ex dictis Sanctorum concatenatum ad pietatem fovendam evulgavit, & per omnia laudabilis, mortem obivit Vercellis in pia Domo Divæ Magdalena non sine fama sanctitatis. *Archiv. Monfort. Sancti Petri, Somasca Graduata memor. Histor. pag. 31.*

**T**INTUS HIERONYMUS Cremonensis insigni literatura ornatus, sed celebrata pietate ornatus simus: Ejus Sanctimoniae odorem testatum habemus in Processibus, pro Beatificatione Venerabilis Patris **HIERONYMI AEMILIANI** fabricatis, qua præunte

<sup>49</sup>  
te ad cœlestem gloriam Vicarii Generalis gradu inaugu-  
ratus transiit anno 1599. *De eo Arisus in Tom. 3. Cre-  
monæ literatæ.*

**T**ONTOLUS FRANCISCUS Sipontinus, Theolo-  
gus primæ notæ, & in Romana Universali In-  
quisitione Qualificator, & in Indicis Congrega-  
tione Censor, & Consultor, ex meritorum famigera-  
tione, & scientiarum meritis ab URBANO VIII. die  
15. Januarii 1638. Ischia renuntiatur Episcopus, quam  
Ecclesiam cum viginti quinque annis rexisset feliciter,  
appletonico correptus morbo Neapoli cursum consum-  
mavit, fuitque sepultus in D. Demetrii an: 1663. ma-  
gnificis funeribus.

**T**ORNIELLI PETRUS FRANCISCUS Novarien-  
sis die 12. Octobris anno 1681. Congregationi  
admissus, claruit virtutibus, & officiis, Præ-  
positus pluries, pluries Concionator, scientiarum cul-  
toribus gratissimus, morum pietate, & vultus suavita-  
te gravior. Laurentius Pattarolus Venetus in sua Præ-  
fatione ad Opusculum inscriptum: *Panegyricæ Orationes  
Veterum Oratorum Notis, & Numismatibus, &c.* Virum  
omni laude florentissimum nuncupat; extrema clausit  
ætatis suæ 56. Domini vero 1719. in Colleg. Placent.

**T**RISSINUS GASPAR Vicentinus mente Angelus,  
ingenio Sophus, stylo Rhetor, in omnibus ve-  
ra sapientis imago, in Theologicis eruditissimus,  
in Concionibus eloquentissimus: Materno ex traduce-  
Pro nepos Francisci Tridenti celeberrimi ubique gen-  
tium

150  
tium Viri ; ejus Effigiem affabre depictam in fronte-  
cujusdam Voluminis *Epistolarum*, & *Carminum*, quæ a  
disertissimis Viris Francisco mittebantur, opera, &  
impensis Friderici Cardinalis Borromæi, collecti, & af-  
servati in Bibliotheca Ambrosiana, *numerosis*, & *gra-*  
*vissimis exornavit hendecasyllabis*. Item Mediolani anno  
1626. elegantissimo latino sermone evulgavit : *Acta San-*  
*ctæ Savinae Trifinae*, & *Naboris*, & *Felicitis MM.* Lau-  
datur inter celebres Chronologos a Vitali in Theat. Me-  
diolanensi pag. 223. Dum esset Vicentiae ubi senex de-  
cessit collegit summo labore *Acta Capituli Colleg. SS.*  
*Philippi*, & *Jacobi*, necnon res notabiles, & *Librum*  
*conscriptis Autographum*. *De tam egregio Viro Osias in*  
*Histor. Lauden.*, *Barbaran. in Histor. Eccl. Vicent.*, *Bos-*  
*sus in suis Epistolis.*

**T**ROTTI VINCENTIUS in Papiensis Principatus  
Oppidulo, vulgo *Castel-Franco*, ortus, inter  
primos, nempe de anno 1569. die 29. Aprilis  
solemnia Vota Religionis nuncupavit Mediolani, in Or-  
phanotrophio Divi Martini: Innocentia Angelus, in sui  
despicientia eminens, Vir si quis alias contemplationi  
addictus, lacrymarum dono illustris, Dæmonibus val-  
de invisus cum sæpiissime ipsum dum oraret offenderint;  
coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento totus præ-  
dulcedine, & voluptate intus percepta, in lacrymas  
dissolvebatur, vel communicando, vel sacra peragen-  
do. Ejus sanctitatis fama adeo percrebuerat, ut ad eum  
invisendum Somaeschæ immorantem, GREGORIUS XIV.  
tunc temporis Cremonæ Episcopus eo acceperit, & Vin-  
centii per triduum religiosa consuetudine usus fuerit.

San-

151  
Sanctus Carolus iridem Archiepiscopus in pia Domina S.  
Martini Mediolani eum ægrotantem invisit, & pluribus  
cum eo de rebus Divinis colloquiis habitis, discessurus,  
ad lectum genuflectens, ejus benedictionem petuit. Me-  
diolano, recuperata sanitate, Papiam profectus ibidem  
meritis, & annis copiosus requievit anno 1580. ejusq;  
corpus a pio loco Columbinæ ad Ecclesiam Sancti Ma-  
joli translatum est anno 1607. De eo Bulzius in Vita  
M. S. Ven. Johannis Scotti, quæ asservatur in Collegio  
Sancti Petri in Monforto Mediolani, Julianus Porta pag.  
233., Bossius ubi de Sancto Majolo, Romual. in sua Pa-  
pia Flavia Sac.

**T**URRIGLIA HIERONYMUS Genuensis, maxi-  
mæ prudentiæ, & devotionis Sacerdos, inter  
Domesticos eruditæ lepidus, in collocutionibus  
sancte urbanus, ad ultimam ætatem usque, semitam  
Mandatorum Dei cucurrit, ejusque cor dilatatum est  
in peculiaribus pietatis, & religionis exercitamentis. In  
Collegio Clementino de Urbe Confessarius; in Orpha-  
notrophiis, quandoque Rector; in Provincia Romana  
Præses tum christianæ, tum regularis disciplinæ zelo  
prudenter efferbuit. Collegia in queis ipsum contigit  
immorari sanctissimis exemplis, consiliis, sacrificiis  
suplectilibus ditata sunt. Romæ pectoris angustus ex  
hydrope, nunquam a meditationibus, Choro, & com-  
munibus corporis afflictionibus temperavit: Sacrum  
jugiter operatus est dum ex pede stare licuit, camera  
in Sacellum versa; lethaliter decumbens, seque mori  
præsentiens, quota hora effer scilicetatus, eaque intelle-  
cta statim religioso habitu supervestiri curavit intermi-  
xtis

Vide  
pag. 200

152

xtis ad Deum precibus , & paulo post festivis oculis , serenoque vultu migravit ad Dominum , annis a Professione sua 45. æræ vulgatis 1699. ejus corpus quiescit in Ecclesia SS. Nicolai , & Blaïii Romæ .

**T**URTURA AUGUSTINUS Ferrariensis in omnium scientiarum genere florentissimus , Concionator famigeratissimus , Theologus profundissimus . In Cathedralibus Brixiae , Alexandriæ , Vicentiae , Salodii Ecclesiastem egit , & quidem Vicentiaë ubi unico ore ingeminabatur : *Nunquam audivimus hominem talia loquentem* , & Salodii ubi ejus vestes a piis , devotisque Auditoribus modo tangebantur , modo abscondebantur ex opinione sanctitatis , ad quæ ipse humiliter repetebat : *Nolite me tangere , quia homo peccator sum* ; scripsit , & evulgavit elegantissimum Opus latinis litteris : *De Vita Beati HIERONYMI ÆMILLANI* , necnon aliud : *De filicia in Deum* . *Blancus Dominicus in suo Opusc. vulgo : Il Giardinetto affermato in Archiv. Monfort. Sancti Petri Mediolani* . Obiit Salodii Præpositus Generalis anno 1621. mense Novembri non sine fama sanctitatis .

## V

**V**ACCARIUS HERMENEGILDUS Ferrariensis , Rector prudens , Professor scitus , inter cæteras animi sui dotes , pietas effusit : Exemplarissimæ vitæ laudem constanter , & ubique meritus est . *Collegium in Patria , Clementinum in Urbe recta* *rum*

Vide  
Pag. 169.

153

rum suorum praxi potius , quam municipalium Legum disciplina rexit , atque gubernavit ultra triennium . Florentibus annis a Concionibus fuit , sed in Pagis , & Villis ne superbiret ingenio , neve propriam commendationem , Apostolici munera emolumento præhabere videretur . Anno 1731. e mortalium societate egressus est Ferrariae in Collegio Nostro Sancti Nicolai , ubi affervantur ejus Volumina duo : *Concionum unum , Latinæ Poeseos alterum* . *Ab Actis ejusdem Collegii* .

**V**ERITA DOMINICUS Genuensis , statura parvus , mente , & opere magnus , ejusque experimento didicimus , vel in minimo virtutem totam inesse : In Cathedris Venetiarum scholasticas facultates professus est , earumque *Theorias* ibidem impressit . Ad Suggesta translatus præconem egit in pluribus , & pluries locis , & facundiam suam , morum suorum exemplaritate condidit . In Moralibus celebris , vel ex pede nodos , & tricas explicabat ad petentium institutionem , & animofum tranquillitatem : Scripsit *Conciones Quadragesimales* . *Lectiones Dominicale in Tobiam* . *Resolutiones Morales* . Obiit Genuæ anno Domini 1705.

**V**IGIER , seu VIGHERIUS ANTONIUS Gallus Doctrinæ Christianæ edocendæ sedulo incumbens Congregationis a Ven. Cæsare de Bus in Civitate Avenionensi anno 1571. institutæ Præpositus Generalis , Vir eximiæ probitatis , auctoritatis , & doctrinæ ad Allobrogos missus sub an: 1599. pro Cathechisni explicatione , in Congressum cum Hæreticis ventus ,

Vide  
Pag. 181.

tus , quod frequenter contigit , octoginta ex iis duriores , atque doctiores ad Fidem converrit , miro fructu , & religionis emolumento . Annae Austriacæ Gallicorum Reginæ a Confessionibus fuit , quem sæpissime ipsa adibat de rebus spiritualibus colloquutura , & cum certa die orationi vacantem reperisset debuit ad ostium Collegii expectare donec orasset ; & ad eam descensus liberè dixit : Regina ne stupeas si tardus advenerim , cum Deo agebam , coram quo , scias , vel grandiores , atq; digniores Mundi Monarchs pro veribus haberi . Ex Gallijs Romanam profectus , cum vehementer cuperet pro feliciori ejusdem Congregationis suæ statu , & augmento eandem Somaſchenſi Noſtræ uniri , atque incorporari , supplici Libello porrecto , & adſentientibus Somaſchenſi Patribus , obtinuit a PAULO V. anno 1616. die 11. meſlis Aprilis , ut ex duabus Congregationibus unius Congregationis corpus efficeretur , quæ ex tunc Congregatio Somaſchenſis , & Doctrinae Christianæ in Gallia nuncuparetur . Ante tres menses , & dies quatuor , nempe die 15. Januarii ejusdem anni , & vivis exceſſerat Romæ Ven. Franciscus Franchetti Bergomensis Novitus Noſter cum odore sanctitatis , Francisco deceſſo voluit Vigherius , ut ita dicam , Novitus ſubrogari , & de Præpoſito Generali Doctrinariorū , Neofitus Somaſchenſium factus , infra quatuor menses a diē probationis non expeſtato integro anno , confeſſu Pontificis Professionem noſtrām prædictō anno , & mense Auguſto emiſit . Porro quod reliquum vitæ fuit , tranſegit in Congregatione prudentia clarus , in ſacris Concionibus elegans , in divinis literis eruditissimus , & vitam ex sancte gestis glorioſe clauſit , Santinell. in Vita Ven.

Franc.

Franc. Franchetti pag. 112. Tabul. Rom. SS. Nicolai , & Blaſii ad Cæſarinos . Jacob. Marcellio in Vita Ven. Cæſar. De-Bus Lib. 3. & 4.

**V**ISONUS JOHANNES MARIA Neapolitanus Acerris in Campania natus anno 1634. noſtra Vota in ſtatu Laicali profeffus eſt , ſed anno 1667. die 22. Aprilis ex Indulto Apoſtolico ad ſtatum Clericalem tranſiit , & in numerum noſtrorum Sacerdotum cooptatus eſt . Quantum per oīum licuit ſtudiis vacavit . Oratorum , Poetarumque Lucubrationes evolvens , plurimas hauſit cognitiones , & documenta , quibus aut expoliretur , aut imbuere tur abunde Juven tus in gymnaſe grammaticalı . Porro cum animadver tiffet quamplurimos in id tempius fuſſe deceptos , quod progymnaſmata latinitatis latinis litteris edocerentur , utpote ſi Germanicum Idiomia germanico idiomate ape riretur , primus Institutiones grammaticales italis literis euulgavit in tres classes diviſas , additis utiliſimis obſervationibus ex probatis Auctoriibus collectis : Prodiit tanto plauſu Opus iſtud , ut quantocyus Neapoli , Venetiis , & Genuæ fuerit cuſum , & recuſum 1642. 1655. 1685. & inter cætera , quæ de Grammaticalibus Institutionibus traſtant , ſit uſitatissimum . Obiit Neap. anno Do mini 1679.

**V**OLPI ANTONIUS Novocomo oriundus Civis Bitetti in Provincia Bariana , in ſeculo Juris Vide Pag. 182. Utriusque Doctor , Forenſium tam civilium , quam criminalium in Regno Neapolitano Judex , & Prætor , cum animæ ſuæ detrimentum in ſecularibus mune-

V 2

muneribus formidaret , in Congregationem se recepit , in qua cum unice SS. litteris , doctrinisque Theologicis vacaret , ad plures annos moratam , sive de moribus facultatem tradidit . Typis commisit in Urbe an: 1670 . CLEM. X. Pontifici Summo sacrum Volumen ingens inscriptum : *Resolutiones Morales utroque Jure exornatae* , Tapp. de eo in Biblioth. Neapol.

**V**OLPINUS JULIUSCÆSAR Neapolitanus , retusus corde , mente decorus , CLEMENTIS VII. Confessarius , post hujus obitum Genuam profectus Divæ Magdalenaæ Collegio anno 1614 , præficitur , eamque Domum pietatis , orationis , mortificationis , disciplinæque ferventiori studio implevit , Theologicarum , ac Moralium virtutum splendidis vestitus habitibus , & virtute indutus ab alto , erga Dei Matrem intenso adeo flagravit cordis affectu , ut nullos sermones institueret , quin de ea quidpiam immisceret , unde factum est , ut se ipsi quandoque visendam præbuerit , in mutui amoris significationem ; universæ carnis viam ingressus , ad bravum pervenit retributio-  
nis anno 1619 . *Somasca Graduata memor* , Histor. pag. 104.

**U**BALDINUS AUGUSTINUS , vocatus in sæcu-  
lo GENTILIS URBINAS , in Collegio Clementino Convictor , religiosum hominem induit in  
nostro Novitiatu olim Sancti Blasii in Monte citorio  
Roma

Romæ anno 1615 , petente mense Decembri sub Gen-  
erali Præside Mauricio De-Domis : Vir per omnia  
laudabilis , & præsertim Theologiæ , Canonicique Ju-  
ris doctissimus , summam Congregationi volentibus  
annis existimationem peperit , & large in Urbe , ubi  
etiam de Mandato Papæ ad publica perinde , ac pri-  
vata consilia in spinosis controversiis adhibebatur . Ab  
URBANO VIII. de anno 1643 . Visitator Apostolicus ,  
& Generalis Administer in tota Clericorum Regula-  
rium vulgo Scholarum piarum Congregatione constitutus est , Mario Sozio eam exigitante , Filio utique in  
Patrem rebelli , cum in devotissimum Virum prædi-  
cæ Congregationis Fundatorem , & Præsidem Josephum  
a Calafantio continentí impetu impudenter irrueret ,  
cui Ordini tandem pax , & regularis Instituti splendor  
rediit sub ALEXANDRO VII. de anno 1656 . INNO-  
CENTIUS X. ad Avenionensem Archiepiscopatum eum  
evexit , sed ejus possessioni invidia mortis turripitur .  
Plura theologice scripsit , sed oblivioni posterorum  
non recordationi consignavit , excepta unica consulta-  
tione , quæ Ticini Regii anno 1626 . eo tamen inscio ,  
præalo evulgata est cum hac inscriptione : *Sacra Consul-  
tatio , in qua pius , & religiosus animus Comitis , ac Equi-  
tis Sancti Jacobi D. Francisci Cribelli a scrupolosa vindi-  
catur sollicitudine , jussu ejusdem Comitis , inscio adm. R.  
P. D. Augustino Ubaldino C. R. S. Theologo Autore in-  
lucem edita* . In Meditullio XVII. sæculi paulo secus , e  
